N. III.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno MDCLXXXIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM Libri qui extant. Interpretatione & Notis illustravit JOHANNES DOUIATIUS Antecessorum Parisiensem & Regiorum Professorum Primicerius; jussu Christianissimi Regis, in usum Delphini. Tomis quinque.

Parisiis, 1679, 1680, & 1681. in 4.

PEr aliquot hactenus annos diversorum auctorum studio, diverso successu adornati, Galliarum Delphini usum præ se ferentes prodierunt præcipui Scriptores Latini veteres. Postquam enim Illustrissimus CAROLUS SANCTA MAURÆUS MONTAUSERII DUX, Vir domi & militiæ egregius, omnibusque ingenii ac doctrinæ copiis instructus, post collatam sibi Patricii, sive Franciæ Paris summam dignitatem, mandatumque Normanniæ totius Regimen, a Rege maximo unici præterea Filii institutionem creditam & spes publicas commissas accepisset: Auctores veteres ad vitam recte componendam & comparandam eruditionem plurimum conferre intelligens: in usum Serenissimi sui Alumni, & Gallicæ Juventutis gratiam, istos novo habitu induendos duxit, vt amotis omnibus discendi molestiis, nihil admodum in istis relinqueretur, quod Principem, & reliquam Juventutem illustri loco natam, ab lectione eorum absterreret, & ad vernaculas (quæ quotannis fere renovantur, & vix unquam tamen Auctoris sensum scopumque assequuntur, aut ad dignitatem ejusdem accedunt, semper ab ejus ratione modoque recedentes) interpretationes invitaret. Igitur cum in istis multa superesse animadvertisset, quæ quanquam ab interpretibus tractata, conjecturis tamen disceptata & correctionibus variis in dubium vocata, obscuriora adhuc essent, aut minus cohærentia,

aut non satis explicata, quæque adeo illustrari verbis aliis & explicari notis oporteret: ut ad illos Auctores evolvendos facilior & mollior aditus haberetur, optimam rationem existimavit, si servato contextu Auctoris cujusvis, ad optimos Codices a quolibet præstantissimo Editore exacto, *Interpretatione* quadam singula ejus verba, ubi res postulat, per alia propria & eandem vim habentia redderentur, obscuris verbis expressiora, translatis propria substituerentur, & omnis locutionis difficultas, quæ ex verborum vel recondito sensu aut impeditiore situ oriri poterat, suffectis facilioribus aliis vocibus, iisque in naturalem ordinem revocatis, tolleretur: porro adjectis quibusdam *Notis*, iisque brevibus, si quid esset antiqui moris, aut historiæ veteris, aut fabulæ, parumque perspecti sermonis, perspicuum efficeretur. Facit enim interpretatio, ut abditus verborum sensus perspicuus reddatur; *faciunt* autem Notæ, ut obscura *illustrentur*, & *abstrusæ* res pateant. *Indices* præterea copiosos & ad superstitionem accuratos omnium omnino verborum subjici voluit; quorum beneficio quisque locus in auctore quolibet, modo aliquod ex eo verbum sucurrat memoriæ, negotio facili reperiatur, vocumque perpetuus usus, prout frequens ille vel raro occurrit, & ad eas inveniendas via statim commonstretur.

Ad hoc institutum promovendum propositis amplissimis præmiis invitati, quicunque intra Gallici regni fines literarum laude florerent: & selecti ex omni genere & ordine viri literati, fœminæ etiam nobiles in societatem præstantissimi studii hujus vocatæ sunt; ingenia excitante, qui sublimiorem Principi suo doctrinam instillabat, quemque ad imbuendum excolendumque virtutibus & literis Serenissimi *Delphini* animum vocaverat religio & sanctitas sua, scientiarumque *divinarum* & humanarum cognitio singularis, & in suadendis quæ *recta* sunt incredibilis vis eloquentiæ, JACOBO BENIGNO BOSSUETO ante Condomensi, nunc Meldensi Episcopo: eademque fovente, cui in regendis Delphini studiis *secundæ erant partes* PETRO DANIELE HUETIO, Abbate *Alnetensi*, consummatæ eruditionis viro, editisque in lucem ingenii monumentis clarissimo; qui in partem principalium studiorum promovendorum adscitus, perficiendis istis utilem navavit operam, & has commentandi rationes egregie juvit: adeuntibus ipsum, tanquam omnis eruditionis solidiorisque doctrinæ oraculum,

lum, horum Commentariorum auctoribus, si qua difficultas occurreret, quam excellenti ingenio & doctrinæ summa vi tollere ipse optime nosset.

Horum ἐργοδιωκτῶν auctoritate & consilio publicam lucem adspexerunt Scriptores Latini, quos juxta seriem annorum, quibus prodierunt, additis nominibus Commentatorum, hic recensebimus:

L. Annæus Florus ab *Anna Tanaquilli Fabri Filia*, 1674.
C. Salustius Crispus a *Daniele Crispino*, 1674.
P. Terentius a *Nicolao Camo*, 1675.
Phædrus a *Petro Daneto*, 1675.
P. Virgilius Maro a *Carolo Ruæo*, 1675.
Cornelius Nepos a *Nicolao Courtino*, 1675.
Vellejus Paterculus a *Roberto Riguesio*, 1675.
Panegyrici Veteres a *Jacobo de la Baune*, 1676.
Cl. Claudianus a *Gulielmo Pyrrho*, 1677.
Justinus a *Petro Josepho Cantelio*, 1677.
Q. Curtius a *Michaele Tellierio*, 1678.
Valerius Maximus a *Petro Josepho Cantelio*, 1679.
M. Accius Plautus a *Jacobo Operario*, 1679.
M. Manilius a *Michaele Fayo*, 1679.
T. Lucretius Carus ab *eodem*, 1680.
Dictys Cretensis & Dares Phrygius ab *Anna Tanaquilli Fabri Filia*, 1680.
An. Manl. Sev. Boetius a *Petro Callyo*, 1680.
Sex. Pomp. Festus & M. Verrius Flaccus ab *Andrea Dacerio*, 1681.
Sextus Aur. Victor ab *Anna Tanaquilli Fabri Filia*, 1681.
Aulus Gellius a *Jacobo Proustio*, 1681.

Horum præstantissimorum Virorum & doctissimæ Virginis exemplo, ad eandem formam TITI LIVII Patavini, Romanæ Historiæ Scriptorum principis, superstites Historiarum libros adornandos edendosque, auctoritate Illustrissimi Montauserii Ducis, sibi sumsit *Johannes Doujatius* Antecessor Parisiensis & Professor Regius. Qui cum Serenissimo Delphino septenni literis erudiendo per sesquiannum antea dedisset operam, ab Illustrissimo Præside Octavio Perignio, primo ipsius studiorum adjutore, quem tanto muneri mors immatura subtraxerat, evocatus; ejusdem Celsissimi Principis studiis porro prodesse hac quoque in

 parte,

parte, & ipsius usibus Livium auctorem eximium, cujus unius ingenium Populus Romanus par suo imperio habuit, accommodare officii sui putavit. A Romulo igitur usque ad annum imperantis Augusti alterum & vigesimum, per annos ferme septingentos quadraginta quatuor, *centum & quadraginta libris* deductum Opus aggressus est *Interpretatione*, si quando verba occurrerent (quod raro tamen accidit) obscuriora; & *Notis*, ubi res parum obviæ traderentur, illustrare. Nec temperare sibi potuit, quin aliorum Interpretum exemplo alicubi etiam extra indictas necessariæ explicationis lineas excurreret; dum aut varias lectiones composuit atque expendit ..... Geographicis scrutandis est immoratus diutius, aut accuratius tractandis firmandisque rebus dubiis inhæsit nonnunquam. *Effigies* etiam Virorum maxime illustrium, quorum Livius gesta describit, e nummis aliisque eruditæ vetustatis monumentis, quoad licuit, suis ubique locis insertas, vel Volumini subjectas, exhibuit. *Fastos* magistratuum cuivis Decadi subjecit, annos etiam & magistratus summo in margine cujusvis paginæ allevit; in eorum ineunda ratione Carolum Sigonium secutus: qui ad Marmorum seriem, quæ in Capitolio posita a Verrio Flacco fuerant, Fastos suos digesserat, eorumque *lacunas*, quas temporum invexisset injuria, suppleverat; singulorum annorum gesta accurato ubivis studio adjiciens: quem postea secutus est Stephanus Vinandus Pighius, magistratuum omnium seriem, qua fieri potuit, tribus Voluminibus anno 1599 editis complexus. Ad ipsum constituendum *Textum* usus est Codice vetustissimo Claudii Puteani, (quem Gronovius jam antea evolverat) copiam istius e Regia bibliotheca faciente Præfecto clarissimo Petro Carcavio: alios etiam veteres Codices subministrantibus Illustrissimo Joh. Jacobo Memmio e sua, doctissimo Stephano Baluzio e Colbertina Bibliotheca.

Cum vero longe maxima pars hujus tam ingentis tamque egregii Liviani Operis, ingenti rei literariæ jactura, *depertita* sit, vixque exigua ejus portio, & ex *quatuordecim* Decadibus (in quas fastidiosam legentium ignaviam Livii centum & quadraginta libros dispescuisse verosimile est) *tres* saltem & *dimidia* restent: huic damno aliqua ratione mederi studuit Editor. Sane quidem quæ desiderantur centum & quinque volumina an alicubi adhuc lateant, an prorsus interierint, nemo facile dixerit; periisse tamen ea longe videtur verosimilius. Erasmus in episto-

epistola, Simonis Grynæi Livianæ editioni præfixa, ad Carolum Montioium, (quæ est in Volumine Epistolarum Erasmi Lib. XXVIII. epist. XV. edit. Londin. f. 1685, 1686) quinque priorum Decadis quintæ librorum, anno 1531 e Monasterii Laurisseni, vulgo Lorssensis, (Lorsheim) Bibliotheca erutorum occasione, non optat modo sed pene auguratur, fore ut hic Auctor totus & integer nobis aliquando restituatur: *Quanto plausu*, ait, *excipi par est tantam Livianæ historiæ accessionem? Atque utinam faxit Deus Opt. Max. ut hic autor totus & integer nobis restituatur. Ejus rei spem nonnullam præbent rumores per ora quorundam volitantes: dum hic apud Danos, ille apud Polonos, alius apud Germanos, haberi Liviana quædam nondum edita jactitat. Certe posteaquam hasce reliquias præter omnium spem objecit fortuna, non video cur desperemus & plura posse contingere. Atque hic, mea quidem sententia, principes viri rem se dignam facerent, si præmiis propositis eruditos ad pervestigandum tantum thesaurum sollicitarent, aut etiam ad editionem perpellerent: si qui forte sunt, qui rem publicæ utilitati paratam, gravi studiorum jactura premunt abduntque. Vehementer enim absurdum videtur, homines ut parum auri argentive inveniant, tantis impendiis tantisque periculis, ad ipsos pene inferos terræ viscera perfodere: & hujusmodi thesauros tanto illis pretiosiores, quanto corpore præstantior est animus, prorsus negligere, nec ulla vestigatione dignos judicare. Midarum hic animus est, non Principum.* Et vero anno seculi hujus decimo quinto Bambergæ, Hectore Cotzavio Imperialis Ecclesiæ Decano Bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, inventa est a Johanne Horrione Societatis Jesu Theologo prior pars libri XXXIII antea desiderata; quæ Venetiis primum cum Antonii Quærengii notulis, ac deinde Paderbornæ multo correctior anno 1617 prodiit. Præterea membranam palmulæ, qua pila luditur, a sphæristerii magistro injunctam, deperditorum quippiam Livii continentem, se vidisse Doujatio narravit Johannes Capellanus, Vir celeberrimus. In Regis etiam Hispaniarum Scorialensi bibliotheca nondum in vulgus editos quosdam Livii libros haberi vulgo fertur. Constantinopoli vero in Turcarum Imperatoris regia integrum Livium extare, ex Imperatorum Græcorum bibliothecis, quas instructissimas fuisse nemo ignorat, superstitem, jam olim Petrus Vallius (Pietro della Valle) Epistolarum exotericarum Partis primæ septima narravit: adjiciens, cum

eum Codicem quinque millibus ducatonis Magnum Hetruriæ Ducem aliquando redimere voluisse; Galliarum etiam Regis Legatum Sansium, e gente Harlæa, decem millibus eundem animose licitum esse, ac citra dubium grandi hac æris summa istum obtinuisse a bibliothecæ in palatio Imperatoris Turcici custode, si is invenire Codicem istum potuisset, quem disjectum ferebat, cum exhiberi sibi eundem Legatus cuperet. Quo ipso tamen vanitas narrationis hujus manifesta & fides sublesta redditur. Ut adeo quæ nuper modo percrebuit fama de Livio integro, a Bassa quodam Regi Galliæ pro immensa vi auri quam postulaverat oblato, eodem loco habenda sit: nec magis e Græcia ab oriente is sperandus sit, quam a Septentrione ex insulis Hebridibus & Orchadibus; quarum in una, *Hiona* dicta, a Fergusio Scotorum regulo, Alarici Gothorum Regis comite, cum Roma diriperetur, inde avectas & eo perlatas reliquas Titi Livii Decades superesse, Paulo Jovio in Descriptione istarum Insularum p. 77 non omnino vanum & irritum fuit visum; qui *certa istarum Decadum e tenebris erutarum exempla ad Franciscum Galliæ Regem a Scotis transmissa* relatum se accepisse ibidem commemorat. Neque ad Franciscum olim, neque hodie ad Ludovicum quicquam eorum pervenisse, nova hæc Doujatii editio monstrat: qui grandes quas ætatis injuria hominumque incuria Livio invexere lacunas, nulla repertorum modo Codicum ope, a quibus destitutus erat, sed *Freinshemii* solius ingenii felicitate & doctrinæ copia, qua is, quicquid Livio perierat, in multis aliis veterum Historicorum libris varie dispersum eruerat, collegerat & contexuerat, explendas putavit. Nam quæ doctissimus Vir Holmiæ anno 1649 minori forma ediderat Livianæ *Decadis secundæ supplementa*, Serenissimæ Sueciæ Reginæ nuncupata; in cujus Academia Upsaliensi Eloquentiæ & Politices Professorium munus tum gerebat, ab eadem postea Holmiam ad Bibliothecarii & Historiographi functionem evocatus; reliquarum item, *quintæ* dimidiatæ, *sextæ*, *septimæ*, *octavæ*, *nonæ*, & prioris partis *decimæ* Decadum supplementa Argentorati anno 1654, & iterum 1662 excusa, ita recudi curavit Doujatius, ut secundam Decadem a Freinshemio scriptam primæ Livianæ in *primo* novæ hujus editionis Tomo subjecerit: quinque vero, quas diximus, reliquas Decadas Freinshemii studio elaboratas, & jam antea editas, eum in locum, ubi Liviana deperdita sunt, reposuerit, & *quarto* Tomo incluse-

cluserit; iis, quæ nondum editæ extabant, ex Freinshemiana hæreditate redemtis, dimidiatæ *decimæ* & integrarum *undecimæ*, *duodecimæ*, *decimæ tertiæ*, & *decimæ quartæ* Decadum supplementis in *quintum* Tomum dispositis & nunc primum evulgatis: adjectis margini sectionem in capita notantibus numeris, argumentorum item summariis, & indicatis Auctorum locis, ex quibus, quæ narrat, depromsit Freinshemius. Ut adeo centum & quinque Livii libros deperditos Freinshemio suppletos debeamus; Doujatio autem acceptum ferendum sit, quod postremi eorum quadraginta & quinque, qui ab annis bene multis in obscuro delituerant, nunc eruditorum manibus volvantur. Ipsius etiam industriæ lacunas *sub initium libri XLI* ejusque *sub finem capitum 18, 19, & 20; libri XLIII post caput 3, & in fine libri; libri XLIV sub finem capitum 30, 32, 34, 35, 40, & extremo eodem libro; libri XLV sub finem capitis 14, 21, & 39*, adhuc extantes, quas Freinshemius supplere neglexerat, ipse autem Tomo III, p. 731. seqq. restitutas exhibet, expletas debemus: ejusque beneficio integritatem Livio redditam, & in unum corpus redactum hunc totum Scriptorem literario Orbi gratulamur.

HISTOIRE DU REGNE DE MAHOMET II Empereur des Turcs par le Sieur Guillet;

sive

Historia Regni Mahometis II Turcorum Imperatoris, G. Guilleti: Tomi duo,

Parisiis, 1681. in 12.

De rebus Turcorum optandum esset, ut Turci scriberent: non tam ad explendam curiositatem nostram, quam ut aliqua ferocissimæ gentis ad literas propensio, mitigandorum morum spem faceret. Hæc enim ex cultura ingeniorum concipi potest, quod exemplis aliarum nationum apparet, quæ feritatem non prius mutarunt, quam studiis humanioribus emollirentur. Sed manet Turcis antiqua barbaries, ut spreta literatura, unice armis, & premendis dura servitute populis incumbant. Inde est quod nullam memoriæ ad posteros, aut exteros, per

per literarum monumenta propagandæ, curam habeat gens cæteroquin superbissima; sive factorum conscia, & præsentibus contenta, sive hanc operam nobis, ut otiosis, relinquens, ut ipsi prædicatores acceptorum damnorum simus, scribamusque non modo de victoriis illorum; sed & de nostris vitiis & erroribus, quibus non minus aucta est res Turcica, quam sua virtute. Justus ergo vindex Deus, per annos fere mille, truculentos istos hostes continuis successibus in populum Christianum, religionis nomen jactantem, vim deserentem, armavit & fovit, & nunc quoque ad fines nostros minitantes & insultantes perduxit, ut metuendum sit, eadem nos passuros esse, qui eadem cum majoribus nostris peccamus. Certe comparato cum nostris temporibus illo Christianorum statu, qui fuit ante annos hos ducentos, aut paulo plures, ovum ovo vix similius reperiemus. Constabit id ex Auctore hoc Gallo, qui tempestive ad interrumpendum lethargum nostrum, ex scriptoribus illius ætatis historiam *Mahometis secundi* composuit, duobusque non magnis tomis complexus est: stylo, quantum de lingua peregrina judicare valemus, eleganti, commodo ordine, sententiis opportunis. Divisit opusculum in libros VII. Incipit ab ortu Mahometis hujus, qui incidit in annum Chr. 1430; finit anno 1481, quo flagellum hoc Asiæ atque Europæ, in medio rapinarum cursu, fato suo succubuit: Eo qvidem ipso tempore, cum occupata per suos Hydrunte Calabriæ urbe, Italiæ excidium intentaret, tanto tunc terrore repletæ, ut Pontifex Romanus alteram sedis translationem in Avenionem meditaretur. Infremuit autem moriens Tyrannus, eripi se destinatis, idque in inscriptione sepulchri testatum relinquere voluit, tacitis omnibus, quæ per annos triginta, felici scelere, perpetraverat, hoc tantum questus: *Constitueram Rhodum expugnare, & superbam Italiam* Nihil illi erat, *duo Imperia*, Cæsarei nominis axiomate decorata, *Regna duodecim, Urbes* alicujus nominis *ducentas*, interque eas *Constantinopolin* & *Trapezuntem*, coercuisse aut subjugasse. Sed hæc facili negotio, & jucunda lectione peti possunt ex ipso auctore, qui non facundiæ tantum, sed & eruditionis non vulgaris, & peritiæ militaris specimina dedit. In additionibus vero Tomo secundo adjectis, Lectoribus ad intelligendas phrases de re bellica & nautica, commendat tractatum suum: *De artibus viri militaris, aut Dictionarium Eqvestre. Des Arts de L' homme d' Espee, ou du dictionnaire du Gentilhomme.*

HISTOIRE

HISTOIRE DU CALVINISME PAR MONsieur Maimbourg.

sive

Historia Calvinismi Ludovici Maimburgii.

Parisiis, 1682. in 12.

PRimus est hic liber, quem Auctor edidit, postquam titulum *Societatis Jesu*, quo usus in aliis scriptis suis fuerat, deposuit: unde nata ipsi Præfationis ad Lectorem occasio, qua & libros quosdam suos Pontificia censura notatos, & seipsum jussu *Innocentii* XI, ex Societate (cujus membrum per 55 annos fuerit) ejectum commemorat. Queritur autem, quod non potuerit, sæpe licet obsecrans, eam impetrare gratiam (quæ tamen ne *Luthero* quidem denegata fuerit) ut sibi indicaretur, quid peccasset. Applicat sibi inde dictum Apostoli: *Nihil mihi conscius sum.* Examinasse se ait Conciones, quas per annos fere triginta, *Lutetiæ* præsertim habuerit, & quæ, postquam a concionando desiisset, per annos decem aut duodecim scripserit. Provocat ad Sermones, ad Epistolas, ad Tractatus breves de controversiis, & ad Libros Historicos, omnia typis vulgata, quod semper locutus sit, & scripserit ad normam Ecclesiæ Romanæ & legum Regni inviolabilium, quodque auctoritatem *S. Sedis & Pontificis* extulerit, quantum per *Evangelium, Concilia*, & *Patres* licuerit: vixisse etiam se honeste & moribus inculpatis. Subjungit tamen ex eodem Apostolo: *Sed non in hoc justificatus sum.* Esse nempe Sanctissimo Patri majus & penetrantius lumen, etiam quando non pronunciat ex Cathedra, quam sibi. Potuisse illum perspicere, quæ Auctor non viderit, & quoniam ita placeret Pontifici, velle se reum esse, etiamsi nesciat causam, & credere, quod in præsens expediat, impositam pœnam a se subiri. Regem quidem pro justitia & bonitate perpetua patrocinium sibi præstitisse, quia non fuisset indicatum (ut promissum fuerit) quid peccasset, ideoque impedivisse Decreti executionem ultra annum, ita ut in ordine Jesuitico ut antea remanserit. Constituisse se vero tandem, obedire plenissime Pontifici, & paci seipsum sacrificare, ut Jesuitas gravi molestia liberaret, seque in quietem

asséreret. Venia itaque ipsius Regis paruisse se Decreto Præpositi generalis Jesuitarum hac formula concepto: *Obsequentes jussui & mandato S. S. D. N. Innocentii XI, Patrem Ludovicum Maimburgium ex Societate nostra dimittimus & pro dimisso ab omnibus habendum esse declaramus.* Cum igitur jam jussu Pontificis & permissione Regis Jesuita amplius non sit, futurum se profitetur, quem esse Rex velit, eique majori quam unquam zelo & libertate serviturum. In dedicatione vero ad Regem, omissis Panegyricis, quibus alii invictam vim armorum & prolatos justo titulo, ut ait, ad Rhenum usque Regni terminos, concessamque Europæ, incomparabili moderatione successuum, pacem, splendide & facunde prosecuti sint; majus aliquid & immortalitate dignius ad gloriam Regis præstiturum se esse existimat: *Calvinismum* nempe describendo, id est, omnium quos Gallia unquam habuerit, hostium sævissimum & terribilissimum, qui olim furiis & impietate *Protestantium* extrema bellorum civilium mala patriæ intulerit. Hunc vero jam inermem, dejectum, humilem ad pedes Regis jacere, imo ad nihilum fere redactum & agonizantem deprehendi. Quod quomodo Rex obtinuerit, non hic tantum, sed in fine libri pluribus exequitur. Debere autem plurimum Ecclesiam Gallicanam & Clerum Franciæ, alio etiam nomine, incomparabili pietati Regis, qui precibus illius in negotio *Regalium* plus, quam olim ipse *Ludovicus Sanctus* indulserit, utut hic ingenti zelo Ecclesiæ commodis favisset, & ejus jura & libertatem mascule defendisset.

Opus ipsum libros sex complectitur, quorum *primi* Exordium memorabile est. Scribit enim Auctor, se post editam *Lutheranismi* historiam (de qua cum tempus Actorum nostrorum præcurrat, hic nihil annotamus) demonstraturum esse, quemadmodum hæresis illa funesta foecunditate aliam perniciosiorem produxerit, quæ antequam armis, ut hodie, exueretur, plus mali *Galliæ*, quam illa, utut furiosa, *Germaniæ* intulerit. Omnem enim rabiem, quam rebellio, perfidia, avaritia, impietas, crudelitas, desperatio, aliique affectus turbulentissimi & sævissimi, sceleratissimis priorum seculorum hominibus inspiraverint, tempore avorum & patrum per Calvinismum eo fine fuisse exercitam, ut ferro & igne in ruinis religionis & Politiæ stabiliretur. Monumenta igitur superba hæreseos hujus in historia esse, *quatuor* magna & ordinata prælia, *ducentos aut trecentos* conflictus cruentissimos, plerasque
ex

ex pulcherrimis urbibus captas, direptas, eversas: diruta templa; statuas Sanctorum capitibus truncatas; sepulchra Regum violata; exteras copias in Regnum invectas; Reipublicæ speciem in Monarchia extructam, & plusquam *decies centena Gallorum millia*, incognita causa, variis & horrendis tormentis enecata. Ex qua Auctoris propositione (quam instituti memores referimus, non examinamus) de sequentibus totoque libri stylo judicium fieri potest. Habetur autem libro hoc primo narratio rerum ab anno 1520 usque ad annum 1543 gestarum, primaque Calvinismi tum in Helvetia, tum in Francia, regnante Francisco I, origo recensetur. Ubi ut alia taceamus, cum *Johannis Calvini Noviodunensis* vitam Auctor describit, *Luthero* doctrina inferiorem eum fuisse asserit, stylo elegantiorem. Dogmata prope omnia, præterquam de S. Eucharistia, ex Luthero hausisse. Utrumque multum debere *Waldo, Wiclefo, Husso.* Peccasse Calvinum gravius & imprudentius in eo, quod religioni *omnem ornatum, succum, & unctionem*, ut loquitur detraxerit, & eam in sceleti formam redegerit; rejectis omnibus, quæ per sensus recepta, mentem hominum a visibilibus ad Deum invisibilem elevare possunt; Idque jam ipsos Calvinianos factum nolle.

Librum II ab Historia executionis truculentæ adversus Merindolienses, Valdensium reliquias, anno 1545 peractæ, & ab aliis, etiam Catholicis ejus temporis Scriptoribus improbatæ, (qua fatente Auctore, 3000 hominum omnis sexus & ætatis ferro, igne & tormentis enecata fuerunt, sexcenti validiores in nexum ad remigia triremium dati: exustis 900 domibus) auspicatur, culpam in miseros fere totam, aut aliqua ex parte in militum licentiam transferens, executores vero excusans, eoque a Thuano & Duplexio, quibus dicam scribit, dissentiens. Pertexit postea historiam increscentis sub *Henrico* II & *Francisco* II Calvinismi, ad annum usque 1560; quo *Catharina Medicæa* Regis mater ad Regni gubernacula admota est, recensetque qua ratione, cum Regina *Navarro* & *Condæo* Regii sanguinis Principibus Calvinismum professis, & *Coliniis* fratribus, potentibus ejus sectæ viris indulgeret nimium, majus robur malum hoc acceperit.

Lib. III facta ad res Scoticas digressione, quomodo natus in illo Regno Calvinismus fuerit, commemorat; ubi cum ad miserandum

Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ, quam mire extollit, obitum Historiam deduxisset, ex nuper edito libro rerum Belgicarum *Auberii Maurerii* repetit, Gallicos Legatos, qui pro liberanda Maria apud Elisabetham publice intercesserint, clandestinis suggestionibus mortem ejus suasisse. Inde in Galliam regressus pergit exponere, quomodo Regina a *Condæo* & *Colinio*, *Admiralio* seu Maris Præfecto, etiam ipso *Anna Momorantio* (quem *Connestabilem* vocant) Catholico licet, inducta, cum *Antonio Navarræ Rege* gubernationem Regni partita fuerit, tanta cum Hugonotorum elatione, ut in arce ipsa regia Fontisbellaquea conciones suas habuerint; Montlucio etiam, Episcopo, hæresin prædicante. Porro de Triumvirali fœdere inter Ducem Guisium, Annam Mommorantium, & Jacobum Santandreanum Mareschallum inito, ac Hugonotis opposito: de Edicto mense Julio anno 1561 ex sententia Parlamenti contra Hugonotas promulgato, sed conniventia Magistratuum, & Cancellarii inprimis Hospitalii eluso: de Colloquio Poissiacensi Reginæ auspiciis instituto, sed re infecta abrupto, non sine invectivis in Theodorum Bezam, uberius disserit; libroque finito additamentum annectit, p. 263, ubi de rebus Scoticis & Anglicis egerat, inserendum; conciliationem *Ecclesiæ Anglicanæ* cum *Romana*, tum ex argumentis aliis, tum ex declaratione seu professione fidei, a *Ducis Eboracensis* uxore primi matrimonii, paulo ante mortem anno 1670 edita, quam Gallico sermone exhibet, ominatus.

Libro IV exhibet gesta ab anno 1562 ad 1564; cumque de novo Edicto d. 17 Jan. anno 1562 in Hugonotarum gratiam condito; Navarri Regis ad Catholicos transitu; Reginæ in alendis factionibus subdolo studio disseruisset: sensim ad civilium Galliæ bellorum Historiam, quorum culpam omnem in novum Protestantium Evangelium conjicit, progressus, occupatum a Condæo Hugonotarum ductore Aurelium; Rothomagum, in cujus obsidio Rex Navarræ ex vulnere obiit, a Catholicis obsessum, captum & crudeliter direptum; pugnam Drocensem; obsidionem Aurelii, in qua Dux Guisius a sicario, quem ab Admiralio Colinio immissum statuit Auctor, trucidatus occubuit; primamque pacem Edicto Martii anno 1563 compositam, sed a Pontifice Romano summe improbatam enarrat; ac sub libri calcem Calvini, anno 1564 extincti, elogia vituperiaque fusius prosequitur.

Libro V novorum motuum occasiones, & eventum ad annum usque

usque 1569 exponit, & quomodo Regina Hugonotis olim addicta, ad Catholicorum partes palam nunc transierit, ac habitis cum Legato Pontificio in urbe Avenionensi, & Bajonæ postea cum Duce Albano colloquiis, Hugonotas in suspicionem conspirationis adversus se initæ adduxerit, recenset; ad Belgicorum etiam motuum Historiam digressus. Inde tentatam a Condæo Metim: irritos judicioque Auctoris impios Condæi & Colinii de Rege cum tota familia intercipienda ad Meldas conatus: circumsessam a Condæo Lutetiam, præliumque ad suburbia, quo Conestabilis Mommorantius cecidit, victoria tamen penes Catholicos fuit, commissum: suppetias Condæo ex Germania a Friderico III Electore Palatino submissas: collectum contra pro Rege a Johanne Guilhelmo Saxone (quem male filium Augusti Saxoniæ Ducis vocat, cum filius fuerit Johannis Friderici Electoratu a Carolo V exuti, Serenissimæ Familiæ Vinariensis progenitor) equitatum; pacem inde anno 1568, metuente Rege, ne exercitus a Joh. Guilhelmo Saxone adductus ad Hugonotas transiret, cum Hugonotis initam, sed eodem anno, quod Rupella præsidium Regium admittere Condæi & Colinii patrocinio subnixa abnueret, abruptam: prælium denique anno 1569 ad Carnacum commissum, quo Princeps Condæus, cum captivum se jam dedidisset, non excusando facinore occisus est, uberius enarrat.

Libro VI refertur instauratio belli, duce Colinio, post mortem Condæi facta, adjuto iterum copiis Germanorum a Friderico Palatino submissis: Obsidio *Pictavii* frustra ab eo tentata: Clades deinde Protestantium ingens ad *Mortconturium*, mense Octobri anno 1569 secuta; qua non obstante, Regina mater pacem cum illis denuo iniit mense Augusto anno 1570, nec minus illis, ut Auctor tradit, indulsit, quam si victores fuissent. Non enim tantum libertas exercitii religionis extensa est ad plura loca, sed & urbes munitæ quatuor, inter quas *Rupella*, pro securitate traditæ. Fatetur tamen Scriptor, non bona fide versatam esse in hoc negotio Reginam, sed id egisse, ut Protestantes aut eorum proceres per insidias opprimeret, idque anno 1572 in famosa illa *Parisiensi laniena* effectui dedisse, instigato Rege filio, adversus Colinium inprimis, sed ita, ut crudelis impetus de perdendis simul omnibus, quem efferata mente Rex conceperat, impediri postea non posset. Culpat igitur hanc sævitiam, & concedit, cædem nocentium & innocentium pro-

miscue toto fere Regno expresso Regis jussu perpetratam, excusari non posse. Commemorat etiam mortem *Johannæ Navarreæ*, Reginæ, quæ ad funestas illas filii Henrici, postea Galliæ Regis, hoc nomine Quarti, nuptias, Lutetiam venerat. Accidit autem illa ante lanienam, mense Junio, non sine suspicione veneni, quam tamen Auctor, quantum potest, diluit: Nec laudibus summarum virtutum hanc Reginam fraudat, impacta tamen hæreseos nota, quam fervente zelo & cum crudeli Catholicorum persecutione professa esset; cæterum fere sola iis moribus, ut *bona Calviniana* dici potuerit; cum reliqui, excepto Colinio, qui essent, aut quid crederent, ignari, nullam religionis aut pietatis curam haberent. Quem eundem animum in Aula regia corruptissima, etiam Catholicis, nec aliam inter utrosque differentiam fuisse scribit, quam quod hi Missas, illi conciones frequentarent. Recenset postea & summa laude extollit factum Episcopi *Lexoviensis* (*Lisieux*) *Johannis Hennuyeri*, qui cædem Protestantium, Præfecto regio mandatam, auctoritate & facundia sua impedierit, eo cum successu, ut hoc beneficio permoti hæretici illius loci, omnes ad Catholicam religionem sponte redierint. Sed cum post annum 1572 multa ad nostra tempora narranda superessent, & de Calvinismo, i. e. doctrina ipsa parum, de Ecclesiarum illarum constitutione, & ritibus nihil plane, quod Lectores expectare potuissent, dictum esset; hic tamen subsistendum & respirandum sibi esse statuit Auctor, scopum suum uti videtur assecutus, quem ex *epilogo* operis, dedicationi & exordio respondente, non difficile est clarius intelligere.

Occasione enim ab Episcopi hujus facto sumta, Axioma & regulam extruit, *Etsi hæreticos summo jure fas sit supplicio afficere, idque Calvinus exemplo Michaelis Serveti, Genevæ capite plexi, ipse probaverit, nihil tamen effici isto rigore.* Demonstrat hoc secutorum temporum, post lanienam Parisiensem, historia breviter relata. Protestantes nempe adeo irritatos fuisse, ut pacificationi nulli fiderent, sed urbes Regni munitissimas occuparent, summaque cum pertinacia defenderent. Post Caroli IX mortem sub *Henrico* III, quoniam alia remedia non viderentur superesse, *Ligam* illam sive unionem, sub prætextu religionis, sed alio longe fine initam fuisse, cum summo rei Catholicæ detrimento: odiosam etiam exteris, Regique demum ipsi, qui ejus fastidio compulsus

pulsus fuerit, ut Protestantium auxilia imploraret, exitiosam. Semper deinde victos fuisse Catholicos, auctam vero Protestantium securitatem & potentiam, donec ab Henrico IV serio licet ad Catholicam fidem converso, Nannetense edictum anno 1598 impetrarent. Rebellasse quidem postea, ex ingenio hæreseos, & a Ludovico XIII post expugnatam præsertim *Rupellam*, armis exutos, in eum recidisse statum, in quo non aliis quam sibi nocere possent; mansisse tamen errores altis radicibus nixos; atque sic constare, debilitari hæreticos posse, sed non hæresin, cujus vis subrui non nisi animarum conversione possit. Hanc igitur gloriam a Deo reservatam esse scribit *Ludovico Magno*, qui efficacioribus mediis, quam quæ per integrum seculum in Gallia adhibita fuerint, ita depresserit hanc sectam, ut jam debilis & languens, manifeste ad finem suum tendat. Tenuisse Regem medium inter rigorem & indulgentiam, egregieque temperasse justitiam & clementiam. Destruxisse primum templa, contra edicta ædificata. Prohibuisse cœtus in locis, quæ edictis non fuerint permissa. Abstulisse malis Catholicis libertatem transeundi ad Protestantes; his vero semel conversis, reditum ad pristinos errores. Obstetrices non nisi Catholicas ideo tolerare, ut infantes baptismo in casu necessitatis illarum ministerio servari possint, cum id negent suæ sectæ mulieribus Calviniani. Frustra hæc & injuste pro persecutionibus haberi. Neque enim dirui alia templa, quam quæ contra edicta fuerint extructa; sublata quidem esse tribunalia partita inter Protestantes & Catholicos, sed ob abusum. Nullis edictis permissum Catholicis, ut Calvinismum profiterentur, sed Hugonotis tantum eum jam professis concessam religionis libertatem. Et Edicta ipsa urgente necessitate temporum & ob certas causas condita fuisse, quibus cessantibus ipsa quoque expirent, & valere debere Hospitalii Cancellarii dictum, quo Edicta illius temporis, Protestantium gratia condita, defendebat; *Edicta nempe sive Leges temporibus accommodari debere, non tempora legibus.* Dein etiam contraventionibus plurimis meruisse Protestantes, concessionibus omnibus privari, sed Regem adeo benignum esse, ut etsi devictis omnibus qui contra summam ejus potentiam conjuraverant adversariis, non injungat tamen Protestantibus subditis suis, quod Principes ejus sectæ, Rege in omnibus longe inferiores, Catholicis in sua ditione faciunt, nempe ut exercitio publico

publico careant, quod Rex omni jure, per modum *retorsionis* facere possit. Quod si regeratur, tutius concedi libertatem religionis Protestantibus, quia non credunt, Pontifici jus esse Reges ob hæresin deponendi, id quod tamen Catholici doceant; responderi: Calvinianos in Reges Galliæ non semel conspirasse, ut constet exemplo conjurationis Ambosianæ, & quæ ad Meldorum oppidum tentata sint, itemque ex pactis inter Hugonotos & regni hostes pro tollenda Monarchia & erigenda Republ. initis. Deinde non credi in Gallia, Pontifici jus esse in Reges animadvertendi, aut subditos juramento fidelitatis absolvendi: Reges enim Galliæ protestari contra hæc asserta, ut probasse se dicit exemplo Caroli IX, apud Pium IV pro Regina Navarrea, ut libro IV dixerat, hæretica licet, quam ille excommunicatam ditione insuper exuere nitebatur, protestatione solenni intervenientis. *Itaque Regis* gratia fieri, quod Protestantes in locis *assignatis* religionis & disciplinæ suæ usum retineant, quamquam per edicta amplius non obligetur, cessante ratione & tempore. Agere igitur Regem justo quidem zelo, sed spiritu amoris, ut leniter ad religionem revocentur, quam majores eorum infeliciter deseruerint. Animari autem Regis industria Episcopos, ut probos & doctissimos Missionarios etiam in abditas *Alpium* valles ablegent: erogare insignes pecuniæ summas in conversos pauperes: legibus etiam conversionem promovere; cumulare resipiscentes gratia & beneficiis, sed omnem spem ad dignitates & munera obstinatis auferre. Hinc tanto cum successu immensam multitudinem quotidie hæresin abjurare: reliquos etiam, speciosioris prætextus causa, jam ipsos desiderare, ut secundum doctrinam Evangelii, *compellantur intrare*. Longe itaque plus præstitum esse statuit Regis lenitate & justitia, sine turbis & tumultu, quam omnium prædecessorum armis aut suppliciorum rigore. Concludit tandem sperandum esse, Deum labores *Regios* in pace non minus prosperaturum, quam in bello; futurumque, ut incendium Calvinismi, quod tantas Galliæ strages intulerit, & ex quo vix fumus supersit, brevi tempore prorsus extinguatur: *Ut ita una lege sub una Monarchia Christianissimi Regis uniti, uno etiam vinculo fidei & veræ religionis connectantur.* Hanc autem solummodo in Ecclesia Catholica Apostolica & Romana inveniri, in ovili Christi, sub pastore supremo, qui Ecclesiæ caput sit visibile, utpote S. Petri successor & Jesu Christi vicarius.

RE-

REMARQUES SUR L' HISTOIRE DU Calvinisme, de Monsf. Maimbourg.

A la Haye, 1682.

sive

Notæ ad Maimburgii Historiam Calvinismi.

Hagæ Comitum, 1682. in 12.

AUctor nomen in titulo omissum, epistolæ nuncupatoriæ ad *Serenissimum Principem Arausionensem* subjunxit, *Rou.* Exorditur ab excusatione, quod ab amicis impulsus, non quidem refutationem (hanc enim ab optimo quodam inter Europæos scriptore susceptam esse,) sed notas margini libri Maimburgiani festinanter adscriptas, in publicum emittat. Præmittit monita tria generalia. (1.) Jesuitas nunquam sine certo scopo, inprimis vero ad commodum suæ Societatis, historias scribendas aggredi: itaque Maimburgium Stradæ & aliorum exemplo, de *Arianismo* scripsisse, ut occasionem haberet sub Arianorum persona *Jansenistas* exagitandi: de *Iconoclastis*, ut imaginum & reliquiarum cultum defenderet: de *decremento Imperii*, ut Regi applauderet, ob defensionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ: de *Lutheranismo*, ut traduceret sectam, quæ in Germania non minus nocuerit rei Pontificiæ, quam *Reformati* in Gallia. Itaque historiam Calvinismi non alia causa compositam, quam ut Gallis Catholicis implacabile odium adversus Reformatos inspiraretur, quod eos insensibiliter moveret, ad aliquid audendum *lanienæ Parisiensi* simile, cujus culpa Regi ejusve Consilio imputari non posset, sed in furorem populi rejici. Tales autem fines ab historia abesse debere, quam liberam & affectibus purgatam esse deceat, ideoque hanc fide non dignam, sed suspectam pronunciat. (2.) Hausisse Auctorem mala fide, quæ tradit, ex infectis fontibus, rariusque & illubentius allegare *Thuanum*, *Mezerajum* aliosque scriptores æstimatos, quam alios valde mediocris auctoritatis, tum apertos Protestantium hostes, malisque moribus, quam librorum laude, celebriores. (3.) Nimis esse præoccupatum, neque ullam materiam sine fervore tractare, quod nemini placere possit, qui æquitatem & modestiam amet. Probari hoc ait *verbis Pag. I. lib. 1.* ita ut in scenam procedat flammas oculis, ore maledicta

 gerens,

gerens, declamator, non historicus; libellum accusatorium, non historiam scribens. Sic ergo Protestantes plerumque non aliis epithetis insignire, quam *sceleratorum*, *extreme impudentium*, *pestilentium*, *furiarum infernalium*, *bestiarum &c.* Se itaque nescire, qua ratione liber hic, ut rumor sit, in aula Regia & alibi tantopere placeat, cum non aliud sit, quam pura Satyra, & Rhapsodia ex tabernarum vilibus chartis concinnata, innumeris etiam Soloecismis in Grammaticam linguæ Gallicæ peccans, non varians cum judicio materias, non forma magni ingenii effectus exhibens, sed styli impetu & bile tumens, qui nihil habeat delicati & placituri. Hoc modo progressus fit ad annotationes, quas, ut apparet, Auctor verbis Maimburgii adscripsit, non multis tamen locis, ita ut quaternionibus novem totus liber absolvatur. Ex quo quædam subjungimus aliquo respectu cæteris notabiliora, de quibus tamen judicium merito suspendimus.

Pag. 13. ubi Maimburgius statuerat cogendos esse, qui Ecclesiæ contraria docent, ad recantandos errores: dignum hoc dogma esse, ait, Jesuita, idque observari extorquendo revocationes hoc ipso tempore ab illis, quos *relapsos* vocant, atque ita tractatum putat fuisse *Theodorum Maimburgium*, Historici gentilem, qui bis Catholicus, nunc demum in Britanniam confugerit, secunda vice reformatam religionem cum securitate professurus.

Pag. 21. Lutherum Calvino ideo præferri a Maimburgio ait, quia in Gallia versatur; aliter facturo, si inter Lutheranos in Germania viveret, tunc enim inventurum, quo Calvinismum emolliret. *Pag. 27. 28.* fateri videtur, se non esse Theologum, ideoque declinat disputationem de Eucharistia. *Pag. 37. & seqq.* dum rejicit imputationem, quasi cantus Musicus, quo in Psalmis Reformati utuntur, mollis sit, & effœminatus, & contrarium demonstrare aggreditur, vehementer taxat adversarios, qui hymnis sacris melodias profanas ex trivio, tabernis & scenis desumtas, ridicule & cum scandalo accommodaverint: Provocans ad *librum Canticorum* approbantibus Theologis & cum privilegio Regis, a *Florentino Lamberto* impressum. *Pag. 44,* ubi Maimburgius Calvino abjudicat facultatem mittendi Doctores seu pastores, laudat Auctor *defensionem reformationis a Claudio* (celebri Reformatorum ministro) *editam*, qua contrarium sit demonstratum. *Pag. 51. & seqq.* magni viri illustrisque & excellentis auctoris elogio mactat *scriptorem anony-*

anonymum tractatus *Gallici*, cui titulus est: *Les derniers efforts de l' innocence affligée: Ultimi conatus afflictæ innocentiæ.*

Pag. 61. scribit convinci posse Jesuitas, quod mortem Angliæ Regis Caroli procuraverint. *Pag. 65*, cum *Maimburgius* ex *Maurierio* retulisset, *Mariæ Stuartæ* necem clandestinis Gallici legati suggestionibus promotam fuisse, Auctor integrum *Maurierii* locum inserit, ex quo Maimburgius causam istius supplicii allegare supersederit, continuas nempe *Mariæ* adversus *Elisabetham* molitiones.

Pag. 98 & seqq. defendit *Theodorum Bezam*, quem Maimburgius ob Epigramma Latinum juvenile, lasciviæ & fœdi criminis insimulat, & elogium Bezæ a Pasquierio & Thuano Scriptoribus Catholicis datum opponit. *Pag. 118* acriter insurgit in stylum Maimburgii Gallicum, neque plures paginas libri ejus, quam errores esse ait, sive in dictione, sive in constructione & puritate; itaque veram credi posse famam, quod ob tales defectus, prædicationem in templis omiserit, & ineptiæ ejus deberi, quod jam per annos decem, tot historias scripserit. *Pag. 194* ad Epilogum Maimburgii, in quo Regis consilia de opprimenda hæresi extollit, regerit Auctor: magnis virtutibus Regis summa deberi encomia, Protestantes tamen ideo non cæcutire in perspiciendis perniciosis consiliis eorum, qui puritatem regiæ prudentiæ corrumpant, ejusque gloriam apud exteros & posteritatem æterna inficiant macula. Hos crudeles Protestantium hostes, *nempe Jesuitas*, non minus ipsi Regi metuendos esse, neque alia causa per tot annos ad eversionem Protestantium laborare, quam ut Regem demum ipsum subvertant, cum aliter scopum suum, *universalis Monarchiæ*, obtinere nequeant. Jam quidem Regi blandiri, quod potentia ejus ad stabiliendam suam opus habeant, at quando fornicem ædificii sui, ultimo cæmento inserto, concluserint, subducturos esse tigilla. Interim vereri eos, ne Rex pro sagacitate sua hæc eorum molimina deprehendat, & quæ olim adversus Regum vitam attentaverint, ad animum revocet, jugumque potentiæ Jesuiticæ, jam satis extensæ, excutiat. Protestantes vero solos esse, qui obstacula progressibus illorum opponant, conspirationes perfidas ebuccinent, & tanquam *Argi* multoculi secretas machinationes revelent, pro Rege vero fidelibusque ejus ministris excubent: desiderare itaque lupos, ut canes ab ovili removeantur. Denique nihil quidem Rege æquius & benignius

nignius esse, & injustissime ideo agere, qui eum ad diversa contra naturam suam incitent: se tamen clementiam & justitiam nominare non posse, si homines non quidem ferri, & tormentorum bellicorum vi & strepitu, attamen occultis & languidis modis enecentur, neque mitiorem mortem esse, si quis fame, vel anni spatio languens extinguatur, quam si ferro intra horæ quadrantem expediatur. Maimburgium quidem dicere, destrui templa usurpata, sed cum omnia non sint usurpata, ille tamen speret, omnia destructum iri, fieri id jure non posse. Nulla etiam æquitate libertatem conscientiæ & religionis subditis a principe adimi: quid fieret Catholicis, si dominum Turcam haberent? Nihil durius esse, quam quod fœminis parturientibus Egyptiaco more injungatur. *Tribunalia*, dimidia ex parte Protestantibus assignata, *non* alio fine sublata esse, quam ut *injustitia* plenarie exerceatur. Tandem dignitates & munera denegari *fidelibus*, & offerri apostatis; exemplo spiritus, qui tentationes suas dolosa mundanæ gloriæ & opulentiæ promissione incrustat. Subnectit alia, ut ostendat vane jactari a Maimburgio, sibique ipsi contradicenti, cum scribit, magnam nihilominus libertatem Protestantibus relictam esse. Marillacorum atque Pellissoniorum nomen, historiæ Regiæ parum olim honorificum futurum existimat Auctor, qui distributis pecuniis ad religionem homines inducant; Apostolos enim auro & argento vacuos, mundum convertisse.

NOTÆ AC ANIMADVERSIONES IN CÆSARINI FURSTENERII Tractatum de Jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ.

Coloniæ Allobrogum, 1682. *in 8.*

CUm ante annos aliquot pax Noviomagi *inter* Cæsarem, Hispanos & Batavos, aliosque Confœderatos ex una; & Gallos Suecosque ex altera parte, interveniente potissimum *Magnæ* Britanniæ Rege, cuderetur, in limine statim *lis* mota fuit a *Gallo* Lotharingiæ Duci de titulis & jure mittendi legatos primi ordinis, dum in literis Salvi Conductus Ministros

nistros ipsius ad pacis negotium ituros, non Legatorum, sed Deputatorum saltem nomine dignatus erat. Ægro hoc animo ferens Lotharingius, mox, Neoburgico & Luneburgo-Brunsuicensibus Ducibus in partes tractis, effecit, ut ad intercessiones Fœderati Belgii Ordinum, Galli tandem, se hac in re Imperatoris exemplum secuturos esse, responderint. Annuente igitur Cæsare, nec in dubium hoc Principum jus vocante, res omnis, invitis quantumlibet Gallis, qui Imperatorem cum Principibus hac in causa committi posse speraverant, ad mentem & sententiam Principum fuit composita, manentibus tantum de ceremoniarum paritate litigiis. Hæc calamum excitavit personati cujusdam *Cæsarini Furstenerii*, qui in tractatu de Suprematu & Jure Legationis Principum Germaniæ 1678 edito totus in eo occupatur, ut ex fundamento competentis Germaniæ Principibus Suprematus, (quem a Superioritate territoriali ita distinguit, ut hanc unice in summo cogendi seu coercendi jure consistere, & tantum a simplici coercendi facultate differre dicat, quantum in legibus Romanis vis publica a privata differt: illum vero ex amplo territorio & tali potentia, qua quis exercitum extra fines ducere, & armis, fœderibus, legationibus ac cæteris Juris Gentium functionibus aliquid momenti ad rerum Europæ generalium summam conferre possit, mensuret) non solum jus mittendi legatos charactere repræsentatitio vestitos, sed eorum quoque legatis ipsis easdem ceremonias, quæ Electorum & Italiæ Principum Legatis exhiberi solent, *Excellentiæ* nempe *titulum, visitationem novissime advenientis, & locum potiorem visitantis apud visitatum*, prolixe vindicet. Hujus igitur Furstenerii tractatum κατὰ πόδα sequitur Notarum Auctor, quarum summa hæc est: (1) rejicit Suprematus vocabulum, tanquam novum & ens merum rationis, p. 11. nec (2) admittit differentiam essentialem inter Superioritatem territorialem & Suprematum, cum per accidens saltem fiat, quo minus aliquis ob regionis aut virium tenuitatem momentum æque magnum ad publica Gentium negotia possit adferre; imo esse periniquum, jus a vi & potentia metiri, p. 14 & 25. neque (3) Suprematus vocem eo sensu, qui Gallico *La Souveraineté* respondeat, Germaniæ Principibus tribui posse, cum hoc Superioritatem ab omni subjectione & fide homagii liberam involvat, Status autem & Germaniæ Principes singuli & reali & personali obligatione subjiciantur Imperio, p. 18, 25, 48 & 56.

48 & 56. Hinc passim concluditur, quod, everso sic fundamento, corruant simul ipsi imposita, nempe Principibus Germaniæ vi Suprematus Legatos primi ordinis mittendi jus non esse, neque adeo legatis ipsis easdem ceremonias, quibus Electorum & Principum Italiæ Legatos excipere solent exteri, deberi p. 14, quia hi non virtute Suprematus vel Superioritatis territorialis, sed usu & consensu Gentium possessione vel quasi Juris mittendi legatos primariæ dignitatis gaudeant, qua cæteri Germaniæ Principes hactenus destituantur, p. 17, 19 & 26, neque omnes ceremoniarum regulæ ex potestate mittendi legatos fluant, p. 80. Quæ omnia fusius in his animadversionibus deducit Auctor, & cum ad rationes tum exempla a Furstenerio allata uberius respondet.

D. CHRISTIANI THOMASII LIPSIENSIS *Annotationes Theorico-Practicæ in Celeberrimi JCti* JOHANNIS STRAUCHII *Dissertationes Justinianeas.*

Francofurti & Lipsiæ, 1683. in 4.

QUid ad concinnandas has annotationes Auctorem compulerit, ipse in præfatione ad Lectorem eloquitur, in qua concisam nimis Strauchianarum Dissertationum brevitatem & enatam inde thesium obscuritatem accusat. Has tenebras igitur ut accensa face dispelleret, brevibus breves addidit explicationes, eosque, qui Strauchii mentem dilucidiorem reddant, Auctores, paucissimis allegavit, nonnunquam etiam in exponenda legum sententia tum ab ipso Strauchio, tum aliis quoque commentatoribus, quin volutatis inter se rationibus, ab omnium fere Doctorum opinionibus, in quibusdam secessum fecit. Quibus observantias Judiciorum Saxonicorum varias a Strauchio omissas utili perquam instituto adjunxit.

PHILIPPI ALBERTI Orthens/ CONSILIARII *Pfedelbaco-Hoenloici Tractatus Juridico-Politicus de Regali Conducendi Jure.*

Norimbergæ, 1682. in 8.

Quem-

QUemadmodum laude sua nequaquam defraudandi sunt illi, qui cum aliis, tum præcipue Historiæ Germanicæ adminiculis probe sustulti, Jus Imperii nostri Publicum universale ad stateram legum domesticarum magis magisque examinare satagunt: ita non parcius encomium merentur, quotquot specialioribus ex eo materiis enixe illustrandis insumunt operam. Hos inter etiam Auctor præsentis libri est, qui quum, ipso se Judice, præter *Maulium*, *Ehrmannum*, & *Ahasverum Fritschium*, huic ipsi doctrinæ pro ratione instituti vel levi brachio, vel minus sufficienter incumbentes, haud facile reperiret, qui de hoc Conducendi Jure data opera fuissent commentati, id sibi relictum putavit esse, ut ipse in hoc genere scriptionis locum vacuum primus occuparet. Quod quidem eo studio aggreditur, ut non modo Jus Conducendi in decem capitibus per quatuor causarum genera perspicue tradat, sed etiam occasione ejus de Regalibus, Jure territoriali, Præscriptione immemoriali, Fluminibus Publicis, Pace Publica, Pignorationibus, Jure Stapulæ, Salvo Conductu Criminali, Jure Protectionis, Asyli, Pacis Burgensis, Repressaliarum, quæ omnia in fronte libri exhibentur, disserat, & in his ipsis quæstiones varii quidem, sed ab instituto non plane dissimilis argumenti CXXI perquam utiles & jucundas, propositis ubique & affirmantium & negantium rationibus, non inconcinne resolvat. Quibus omnibus triplex, capitum nempe, quæstionum, & rerum index accedit.

LUDOVICI GUNTHERI MARTINI, J.U.D. Civitat. Annæbergensis Pro-Consulis & Syndici, Justiniani Institutionum Libri quatuor cum Annotationibus Theoretico-Practicis.

Dresdæ, 1682. in 12.

QUamvis ea sit bonorum Auctorum, qui textum Institutionum Juris Justinianei tam Theoretice quam Practice in usum cupidæ legum Juventutis certatim illustrarunt, copia & ubertas, ut ejus rei ne spicilegium quidem superesse cæteris videatur; nihilominus tamen eo tendit quorundam industria, ut novi Jurium tyrones ad evolvenda Imperatoris sacratissimi elementa novis subinde commentatiunculis excitentur.

tentur. Præstitit hoc reapse Auctor annotationum præsentium, quas, ut ipse profitetur, perspicua brevitate, relictis omnibus superfluis, conscripsit, iisque interpretationes legum a Doctoribus receptas & multo jam usu Fori comprobatas inseruit.

JOHANNIS SCHILTERI PRAXIS JURIS Romani circa Tutelas & Curas in Foro Germanico, ad Pandectarum libros XXVI & XXVII.

Jenæ, 1681. in 4.

INter Jura Gentium antiquiorum positiva, quorum usus etiamnum sat amplus cernitur, ceu luna inter minora sidera facile effulget Romanum, quippe quod a sapientissimis hominibus conditum, tanti moratiores plerique populi æstimarunt, ut ad istud, in decidendis privatorum apprime controversiis, si propriæ forsan leges & consuetudines sileant, veluti ad communem totius Europæ ὁμονομίαν provocent tantum non universi. Nec tamen nulla fuit olim nec adhuc hodie est Teutonicarum legum auctoritas, quarum liberæ Germaniæ Gentes adeo tenaces fuerunt, ut per complura secula non solum Jus Romanum omne nesciverint, sed suos quoque mores & instituta domestica, Francis sibi decus Imperii vindicantibus, in ipsam Italiam attulerint. Etsi vero sero admodum, seculo nempe post C. N. XV, Imperatoris Maximiliani I. auspiciis Romanorum jura in Germaniæ nostræ judicia Comitiali decreto fuerunt tandem admissa, cuivis tamen ditioni suarum legum ac consuetudinum adhuc constat illibata sanctitas, & eorum, qui νομοθεσίας jure in Germania gaudent, libero arbitrio relictum est, utrum velint istud, quod quidem ex instituto valet, in forum admittere, an vero rejicere, aliasque novas & contrarias illi leges ferre. Peccarunt hac in re non pauci Romani Juris Interpretes. Cum enim ab ævo Ottonis M. qui Reipublicæ Romanæ reliquias cum Italiæ regno, perpetuo & indissolubili nexu Germaniæ adjunxit, splendidus iste Imperii Romanorum titulus sensim sese successu temporis patriæ nostræ affricuisset, & Lothario II. imperante, Romana Themis quorundam privatæ sortis hominum indu-

industria in Italia primitus resuscitata ac dein in Germaniæ oras traducta esset, factum inde, ut JCti, non tam ingenio, quam (quæ fuit temporum istorum infelicitas) solidiori cognitione Romanarum æque ac Germanicarum rerum *historica*, nec non Morali ac Civili Philosophia destituti, & antiquo Romanæ Majestatis fulgore fascinati, Jus Romanum, cui summo studio tum unice incumbebant, non modo in Germania, quæ pro veteris Imperii Romani lacinia falso ipsis habebatur, ad publica pariter & privata negotia, posthabitis legibus ac consuetudinibus propriis, accommodaverint, sed ad id etiam omnes in universum Respublicas tanquam ad Lydium lapidem examinarint. Utut autem hic error in Italia forte primo natus esse videatur; cum ipsis tamen Romanorum Juribus Alpium juga transiit, & rudioribus adhuc annis nostram Germaniæ Rempublicam non parum sæpius afflixit. Hinc multoties ejus Ordinum potestas male cum Præsidum aliorumque Romanorum Magistratuum vicaria ac temporali collata; hinc plena in Germaniam Monarchia Cæsarum asserta; quin omnis libertas avita, quæ semper Arsacis regno acrior fuit, vocata in dubium. Nec raro apud interpretes legas, hoc vel illud Jure Romano usitatum, mutato Imperii Statu, correctum esse, cum tamen quandoque id, quod correctum dicitur, longe prius in Germania obtinuerit, quam Jus Romanum pedem eo intulisset. Haud sinistro autem Germaniæ fato contigit, ut, efflorescente nostris temporibus Historiæ Germanicæ studio, & data in amplexum Jurisprudentiæ saniori morum ac civili Philosophia, crassos errores istos plerique exuerint, & Jura Romana cum Germanicis amico perquam connubio ita junxerint, ut suus quæque maneat honos, & tum publicus Germaniæ Status non ad Romanas, sed domesticas leges exactus, inconcussus perstet, tum lites subditorum pro re nata secundum utraque, quatenus recepta vel retenta sunt, in summis perinde ac aliis Iudiciis dirimantur. Quod quidem sicut alii non infeliciter hactenus docuerunt: ita in hoc genere omnino Roscium se exhibuit Excellentissimus *Schilterus*, qui illustris SECKENDORFII & celeberrimi *Strauchii* doctrinis probe innutritus, longe utilissimo instituto *Praxin Juris Romani in Foro Germanico* juxta ordinem Edicti Perpetui & Pandectarum sub schemate Exercitationum Theoretico-Practicarum exposuit. Confert in hac semper principia Juris & Consuetudinum Germaniæ cum Romani

mani Iuris aſſertis, leges inſigniores ſuccincta ἀφοριστικῶς enucleat, nec, quod complures ſolenne habent, ſola uſus Forenſis allegatione & Pragmaticorum auctoritate contentus eſt, ſed & Praxeos, ſicubi a Theoria abſcedit, rationem, Iuriumque tam Provincialium quam Localium differentias, harumque cauſas, ſedulo rimatur; adeoque Ius, quo utimur, quove ſalvis moribus patriis & cujusvis Reipublicæ ſtatu uti poſſumus, obſervatis monitisque Practicis ita illuſtrat, ut huic præſtantiſſimo operi, cujus partes hactenus, & eam quidem, quæ circa Tutelas & curas ad l. 26 & 27 Pandectarum occupatur, anno 1681 celeberrimus Auctor edidit, manum ultimam propediem admoveri Orbis literatus expectet.

JACOBI BERNOULLI COGITATIONES de Gravitate Ætheris.

Amſtelodami, Anno 1683. in 8.

AEris noſtri atmoſphærici gravitatem multi recentiores Philoſophi experimentis ſuis aſtruxerunt. Sed Iacobus Bernoullus ex Syſtemate Cometarum edito clarus, gravitatem hac Diſſertatione aſſerere aggreditur etiam ætheri i. e. juxta ſcholam Carteſianam materiæ ſubtili, quæ globulorum ſecundi elementi nomine venit. Occaſio ſcripti hæc ipſo narrante fuit. Inciderat nuper in Cogitationes de Aeris gravitate D. Volderi, in quibus cum legiſſet, omnem motum ad duo genera vulgo revocari, pulſionem & attractionem, attractionem autem & ipſam pulſionem eſſe, plures motus qui attractionis ſpeciem præ ſe ferre poterant examinavit, utrum per pulſionem explicari commode poſſint. Diſſerendo igitur de natura pulſionis per digreſſionem diſputat, virtutem clavi ſeu gubernaculi in navi non unice naturæ vectis tribui poſſe cum veteribus ac plerisque modernis, neque etiam Stephanum Gradium cauſam ſatis manifeſte reddidiſſe; ſed potiſſimam rationem virtutis, quæ gubernaculo ad gubernandos navium curſus ineſt, conſiſtere in motu quodam laterali, quem in appicta figura explicat.

Hinc ad inſtitutum ſuum reverſus, attractiones magneticas & electricas (*prout Carteſius tradidit Part. 4. Princip. n. 133. ſeqq.*) attractionem

nem a Sole vaporum & exhalationum e terra (*in quo motu explicatio Cartesii satis jejuna sit cap. 2. de Meteor.*) attractionem olei in lampade, suctionem & respirationem, attractionem catenæ & tractionem currus, attractionemque baculi per pulsionem fieri monstrat. Examinatis præcipuis attractionum generibus, credebat se in iis satis planam pulsionem reddidisse; verum consideranti attentius maximæ difficultates occurrerunt. Quem in finem ultimo exemplo de baculi attractione manu facta inhæret, inquiritque causam, quæ partes baculi cohærentes faciat, ut nulla possit moveri absque altera. Postquam ergo ostendisset, non cohærere partes cæmento aut glutine, non particulis ramosis figuram hamorum vel uncinulorum præ se ferentibus, non funiculo, (*quale Francisci Lini Angli fuit somnium*) non quiete, (*ut opinatus est Cartesius prolixe refutatus*) concludit cohæsionem partium baculi & ita in genere duri corporis adscribendam extrinseco alicui corpori comprimenti, & quidem aeri, cum præter ipsum nullum detur quod corpus durum immediate tangat & ambiat. Enimvero quoniam ille solus aer, qui v. g. in attractione baculi per motum brachii expellitur, & per circulum ad alterum baculi extremum defertur, baculum post manum pellere ejusque partes cohærentes facere non sufficit, necessaria consequentia inferendum, generalem totius atmosphæræ pressionem veram esse istius cohæsionis causam.

Cui assertioni stabiliendæ parallelismum instituit inter cohæsionem marmorum politorum & particularum insensibilium duri corporis. Ne quid vero assumat quod alii sensuum præjudiciis occupati vix largiuntur, consultum ducit dissertationis suæ orbitam tantisper deserere examinareque, an hæc aeris pressio seu gravitas extra dubium sit. Primum igitur & præcipuum, quod illi natales dedit, recenset celeberrimum illud experimentum Torricellianum, *quod etiam procedat, si loco Mercurii quicunque alius adhibeatur liquor, puta aqua.* In eo, uti juxta recentiorum doctrinam, in tubis suspensi liquores aeris pondere vel pressione sustentari videantur, exponit, eaque quæ huic explicationi possunt in contrarium objici, diluit. Maximam difficultatem reperit, quod cum pressio illa aeris externi artificiose arcetur & impeditur, ne in liquorem inclusum se exerat, liquor qui toto suo pondere repente deorsum ruere debebat, hæreat nihilominus in fistula. Hunc effectum

virtuti elasticæ aeris adscribi notat, quia minima portio aeris alicubi incarcerati vel inclusi in sustentandis aut pellendis liquoribus tantum possit, quantum totius atmosphæræ pondus; hanc tamen elaterii æquipollentiam cum atmosphæræ gravitate non sine limitatione intelligendam experimento monstrat.

Ut itaque rectius sentire discamus circa rem valde obscuram, operæ pretium æstimavit, notionem quam de hoc aeris elaterio haberet ipse, & quousque id extendendum sit, tradere. Hunc in finem altius repetens naturam & causas gravitatis in corporibus, duplicem motum a DEO mundo sublunari inditum docet, unum generalem, quo omnes hujus materiæ particulæ in eandem plagam circa commune aliquod centrum, Terræ videlicet, rapiantur: alterum peculiarem, quo unaquæque particula materiæ in omnes plagas infinitis modis moveatur; illum motum gravitatis, hunc elaterii non incommode appellari. Quanam autem ratione effectus gravitatis ex motu illo communi elici posset, ex sententia Cartesianorum deducit. *Postquam autem*, inquit, „ porro, *Naturæ consulti viderunt, eum solum motum non sufficere salvandis omnibus, circa suspensionem liquorum phænomenis, quippe qui non explicat, quare suspensus hæreat in tubo liquor obturato vasculo, ubi totius tamen atmosphæræ gravitatio intercepta: hinc alium adhuc aeri peculiarem atque a motu gravitatis independentem adscripsere motum, quo aeris particulæ conatum quendam* (non communem aquæ aliisque fluidis crassioribus) *habeant sese expandendi, dilatandi, remotoque obstaculo majus occupandi spatium, quique conatus in aere incluso par sit sustentando tanto ponderi liquoris alicujus, quantum sustinere valeat gravitate sua tota Atmosphæræ moles.*

Hanc aeris vim elasticam cum fateantur omnes fere hydrostaticorum scriptores, miratur Bernoullus noster, paucos in naturam & causas illius penitius inquisivisse aut sollicitos fuisse, ut certas illi regulas præscriberent, atque omnes evolvendo casus aeris liberi, inclusi, condensati, rarefacti exponerent, quantum in singulis horum casuum effectum aer sortiri debeat. Ipsemet quoque causam elaterii sive conatus sese dilatandi in aeris particulis, quam alii aliam cogitant, determinare non audet, sed effectum elaterii hujus paulo distinctius contempla-

templatur. Et quia multis videtur comprehensu difficile, qua ratione pauxillum aeris etiam non compressi, ingentis atmosphæræ pressionem æquivalente pressione & actione efficaci repellere irritamque reddere valeat, hinc ad captum illorum se accommodaturus atque elaterium hocce mitigaturus, aliud quidpiam præterea in aere considerat, quod *Resistentiam* vocat *passivam*, & ita effectum soli hactenus elaterio tributum bipartitur, *partem* relinquendo *actioni elaterii*, *partem asserendo resistentiæ illi passivæ*, simulque monstrat, quo pacto idem sequi debeat effectus, omniaque allata experimenta non minus, sed forte intelligibilius solvi possint, etiamsi aer longe minori, quam vulgo creditur, elatere foret præditus, cætera vero mere passive se haberet, resistentia supplente elateris vicem. Annotat autem, per aeris resistentiam passivam se non tam intelligere qualitatem aliquam in ipso aere latitantem & a nostra cognitione remotam; quam defectum virtutis in liquore aerem premente, qui non satis habet virium ad aerem loco movendum vel condensandum. Illustrata hac aeris resistentia passiva exemplo duorum corporum se invicem prementium, nimirum duorum luctatorum vel duarum pilarum, leges seu regulas aliquas rationi & experientiis maxime Boylianis consonas, tum pro aeris elaterio, tum pro ejus resistentia passiva statuminat, exque iisdem ad experimenta, quæ ad aeris gravitatem impugnandam afferuntur, respondet, ostendendo omnia vel per elaterium aeris, vel per ejus resistentiam passivam, vel per utrumque commode posse explicari.

Quam suam digressionem finiens Auctor, non amplius dubitat asserere, eandem gravitatem quoque esse causam cohæsionis partium duri corporis. Hoc supposito, inter suspensionem liquorum & cohæsionem corpusculorum hanc instituit comparationem: Sicuti in tubo longiori $29\frac{1}{2}$ digitis argentum vivum descendit, ita etiam corpora dura v. g. partes baculi sive attracti sive suspensi debere disrumpi, cum pariter superarint pondus similis columnæ atmosphæricæ. Atqui hoc repugnat experientiæ, testanti ferramenta plurium perticarum prodigiosæque longitudinis catenis trahi aut suspendi, suspensa teneri multorum annorum decursu. Qui effectus cum a tantillo pondere cylindri atmosphærici, toties minori esse nequeat, concludendum erit, ætherem ipsum omnemque materiam subtiliorem longe supra

atmosphæræ limites diffusam aliqua quoque gravitate præditam esse, quæ juncta cum gravitate atmosphæræ effectum producat, quem hæc sola producere nequibat. Hanc ergo ætheris gravitatem probat *e natura & causis gravitatis* secundum scholam Cartesianam, *e descensu liquorum in vasis occlusis ex hypothesi Cartesiana de pressione materiæ cœlestis.* Concessa itaque ætheris pressione seu gravitate, rationem reddit, *ob quam partes baculi & catenæ longissimæ tam firmiter cohæreant*, difficultatesque removens ac quæstiones solvens exponit, *cur liquores non ad infinitam altitudinem in tubis suspensi hæreant, licet præter atmosphæram omnis materia subtilis gravitet; cur Embolus evacuatæ antliæ nonnisi centum plus minus libras sustineat? cur mercurius repurgatus in sex pedum altitudine hæreat*, ubi Roholtum notat; *cur pressione ætheris durorum, non item liquidorum particulæ connectantur*, (qua occasione de natura liquidi & duri, mollitie & lentore agens perstringit Cartesium) *quare manus bacillum ligneum frangere possit, non clavum ferreum? cur manus facile clavum attrahat, ægre frangat seu inflectat?* cujus causam ex suis placitis Cartesiani non facile inveniant; *cur lignum conatu frangendi facto juxta lineam perpendicularem facile, in directum nequaquam frangatur?*

Atque ut distinctissime omnibus scrupulis satisfaciat, qui ex non plene intellectis Mechanicis Staticisve legibus suboriri possunt, supponit in corpore, quantumvis magno, nullas per se vires esse ad resistendum; omnia autem corpora in singulis suis superficiebus ambientibus seu hedris premi a totidem columnis aereoæthereis, consideratque quo pacto diversæ hæ pressiones nos juvent impediantque in iis impellendis. Ea de causa nova quædam mechanica principia jaciens demonstrat, *quid fiat ubi corpus elevatur perpendiculariter? cur majus corpus majorem pariat elevanti difficultatem? cur corpus facilius ad latus impellatur quam elevetur sursum? Quid fiat, ubi duo corpora complanata sunt revellenda? quare corpus angulosum difficilius moveatur sphærico? cur corpora æquilibrata moveantur facillime, minus tamen facilius majori?*

Post hæc examen instituit insigniorum experimentorum, quæ vel ad confirmationem gravitatis æthereæ, vel per eandem explicari commode possunt, quorum rationes hucusque vel obscuræ, vel difficiles,

biles, vel insufficientes fuerunt. *Primum experimentum* est duorum marmorum, quæ si exacte polita sunt sibique super imposita, adeo pertinaciter cohærere solent, ut a pondere etiam multo majori, quam est similis columnæ atmosphæricæ pondus, divelli nequeant; qui proinde effectus gravitati ætheris adscribendus. *Secundum experimentum* affert itidem duorum marmorum in evacuato recipiente cohærentium, ob non alterius quam ætheris pressionem evidentissimam; hic simul modum monstrat idem experimentum instituendi, ut nulla de aere id efficiente suspicio remaneat. *Tertium experimentum* est anomalia ascensus & descensus in Barometro, in quo nimirum Mercurius frigidissima aura notabiliter magis descendere aliquando conspicitur, quam alio tempore longe mitiori. Hujus non posse rationem proferre eos, qui aeris atmosphærici gravitatem unicam suspensionis liquorum causam profitentur, ait *Bernoullus*. Si enim propter aerem hyeme leviorem factum descendere Mercurium dicant, debebit semper aura existente frigidiuscula descendere; Si vero aer tempore hiemali gravior & densior sit, oportet tum Mercurium altius impelli in tubum: & tamen ipse frigidissimo tempore subsidit humilius. *Boyle* hanc varietatem occultis aeris mutationibus attribuit; causam manifestiorem Auctor noster istam affert: tempore frigidiori Mercurius in tubum assurgere deberet altius, propter majus Atmosphæræ pondus: idem tamen etiam debebit subsidere humilius, quod materia subtilis directius intrans tubum, minus perdat de motu suo, adeoque fortius Mercurium premat deorsum; utrum ergo assurgat vel subsidat, hoc dependet a sola prævalentia alterutrius pressionis. Nempe tum ascendet Mercurius, quando incrementum ponderis atmosphærici (quo Mercurius pellitur sursum) superat incrementum pressionis materiæ subtilis in tubo (qua premitur argentum deorsum) & vicissim tum descendet, cum incrementum prius exceditur a posteriori, quod fit maximo ingruente frigore, ubi globuli directius, quam alio tempore tepidiori tubum ingredientes, omnem fere suum motum & vim deprimendi retinent. Easdem anomalias locum habere in Thermometris *ex Roholto & Voldero* adducit, causam ante allatam ex suis principiis repetens. *Quartum experimentum* sistit duo hemisphæria evacuata sibi firmissime cohærentia, cujus phænomeni genuinam rationem rejectis aliorum explicationibus evolvit.

Ad

Ad finem Dissertationis demonstrationem phænomeni hydrostatici ab aliis neglectam, a *Roholto* male factam subjungit; *cur* sc. *in fistulis gracilioribus liquor internus semper sit nonnihil altior externo?* Ostenditque porro ex illius non comprehensa vera ratione vanam spem motus perpetui nonnullos concepisse; ex eadem autem intellecta constare, *cur vicissim in fistulis gracilioribus superficies Mercurii semper depressior sit superficie ejus extra fistulam; item cur superficies aquæ in fistulis sit concava, Mercurii convexa?* Insuper artificium detegit, *ex cognita sola fistulæ latitudine & altitudine inclusæ aquæ, quæ supra aquam stagnantem emicet, mensurandi particularum aerearum magnitudinem.*

Tandem repetitis generatim Dissertationis membris concludit: Ætheris sive Gravitatem sive Pressionem, sive arctam Compactionem aut Constipationem mavis, qua omni vacuo excluso partes quæ intime sibi junctæ hærent, incumbunt, & incumbendo premunt, sua opinione non tantum Mechanicæ legibus optime convenire, sed & cum mirabili hujus Universi structura necessario plane nexu illigatam esse, sine qua si esset mundus, solidissima quæque corpora dissipata conspicerentur, brachia nobis deciderent ex humeris, manus a brachiis, digiti a manibus, articuli a digitis &c. omniaque denique corpora scopæ forent dissolutæ.

Appendix Dissertationis explicatio Problematis prioris, quo Systemati Cometarum annexo quosdam offenderat.

Cæterum se primum de gravitate ætheris cogitasse, qua dura corpora cohærerent, *Bernoullius* noster putaverat. Sed cum bona pars Dissertationis sub prælo prodiisset, ab Amico monitus in *Malebrancii* sagacissimi Philosophi Scrutinio veritatis (*Recherche de la verité lib. 6. cap. 9.*) reperit eundem iisdem rationibus & exemplis gravitatem ætheri asseruisse. Non diffitetur antehac librum illum se perlustrasse fugitivo oculo, veruntamen non observasse se, saltim non meminisse, tale quid sibi ibi occurrisse: fortuitum ergo consensum dicens, non invidere laudem inventionis cupit Malebrancio.

CENO-

CENOTAPHIA PISANA CAJI ET LUCII Cæsarum, dissertationibus illustrata a Fr. Henrico Noris Veronensi, Augustiniano, Sereniss. Magni Ducis Etruriæ COSMI III Theologo & in Pisano Lyceo Historiæ Ecclesiasticæ Professore.

Venetiis apud Paulum Balleonium, A. 1681. in fol.

INscripta marmora, literatosque lapides, Deorum videlicet *templa*, aras, tabulas votivas, obeliscos, columnas, cipposque sepulchrales, quam optimos fidelissimosque antiquitatis omnis testes atque interpretes esse, nemo eruditorum temere abnuet. Itaque cum, relegata ad Garamantas barbarie, reflorescere in Italia Germaniaque bonæ literæ occepissent, Inscriptiones id genus magno studio & exquisita diligentia collectæ hinc inde, & ex tenebris, ad quas damnatæ videbantur, in publicam lucem sunt protractæ. E Germanis huic operæ insudarunt Conradus Peutingerus, Johannes Huttichius, Petrus Apianus, Bartholomæus Amantius, Michael Scrinius, Laurentius Schraderus, Nathan Chytræus, Franciscus Svvertius, Henricus Smetius, Marcus Velserus, &, qui unus instar omnium est, Janus Gruterus, quippe qui *absolutissimum* Inscriptionum opus sub initium seculi hujus edidit. Ex Italis, quorum patria fœcundissima quædam antiquitatum omnium mater est, Cyriacus Anconitanus, Jacobus Mazochius, Johannes Marcanova, Sebastianus Maccius, Johannes Zaratinus Castellinius, Cassianus a Puteo, Laurentius Pignorius, Jacobus Philippus Thomasinus, alii. Quandoquidem vero plurimæ Inscriptiones tam lectu quam intellectu sunt difficiles, vel quod corrosæ admodum sint, vel detruncatæ, Oedipis omnino fuit opus qui solverent hæc veluti ænigmata atque interpretarentur. Oedipos igitur hac in re egere, h. e. Inscriptiones a se aliisque collectas commentariis ac notis illustrarunt Bonaventura Castilionæus, Antonius Bosius, Sertorius de Ursatis, Octavius Boldonius, Humphridus Prideaux, &, qui vel principe inter hos loco constitui meretur, Thomas Reinesius. Nec eximendus horum numero est Onuphrius Panvinius Veronensis. Hic enim florentis Reipublicæ Romanæ fastos post Sigonium ut conderet, non Imperatorum tantum numismata aliaque

plura antiquitatis cimelia perlustravit, sed & Lapidum Inscriptiones tota urbe atque Italia sparsas collegit. Et hic est ille Panvinius, quem uti sympatriotam agnoscit *Fr. Henricus Noris* (nam & ipse Veronensis est) ita imitandum quoque sibi in accurata rerum antiquarum pervestigatione proposuit. Est *Noris* equidem professione Theologus, Augustinianus quippe & in Academia Pisana, quæ Magno Hetruriæ Duce Patrono ac Nutritio gaudet, Historiæ Ecclesiasticæ Professor; quam spartam etiam se probe adornare, emissa in lucem, ut alia nunc taceamus, *Historia Pelagiana & dissertatione de Synodo V Oecumenica, in qua Origenis ac Theodori Mopsvesteni, Pelagiani erroris auctorum justa damnatio exponitur, & Aquilejense schisma describitur*, nec non *Vindiciis Augustinianis pro libris a S. Doctore contra Pelagianos ac Semipelagianos scriptis* (quæ omnia junctim edita sunt Patavii a. 1673, recusa deinde in Germania a. 1677) sat abunde testatum fecit. Sed hunc Theologum Pontificium rei antiquariæ atque nummariæ non minus, quam Panvinium, concivem suum, esse quam studiosissimum atque scientissimum, cum *duplex* ejus *dissertatio de duobus Diocletiani & Licinii nummis, cum auctario Chronologico de Votis Decennalibus* Patavii in fol. a. 1676 edita, cum *Cenotaphia* potissimum *Pisana Caji & Lucii Cæsarum* dissertationibus ab eo illustrata, & Venetiis a. 1681 in folio impressa, illustri admodum sunt documento. Nam in his non Historici tantum ac Chronologi obit partes, sed acerrimi quoque Critici atque Philologi, quemadmodum & ipse f. 63, se non tam historiam jam, quam Philologicos Commentarios scribere profitetur. Nimirum in hoc Volumine, quod & ipse titulus præ se fert, *Coloniæ Obsequentis Juliæ Pisanæ origo, vetusti Magistratus, Sacerdotum Collegia; Cæsaris utriusque vita, gesta & annuæ eorundem inferiæ exponuntur, & aurea utriusque Cenotaphii latinitas demonstratur*. Erant equidem hæc Cenotaphia jam tum, cum vix reperta in agro Pisano, & in pulcherrimo urbis illius cœmeterio collocata essent, a *Curtio Pichena* in Commentariis in *lib. I* Taciti scriptis publicata; imo abs *Ferdinando* quoque *Ughello* Tomo III Italiæ sacræ, ubi Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopi referuntur, inserta, sed mirum quantum deturpata & mendis undique scatentia. Ea itaque erroribus repurgatis nitori pristino restituit Norisius, nec æri tantum insculpta in

Ope-

Operis frontispicio exhibuit, sed & dissertationibus longe eruditissimis, addo, & prolixissimis, elucidavit.

In Dissertatione prima, quæ VI capitibus absolvitur, Auctor agit *de Pisanæ Coloniæ antiquitate, ejusque vetustis magistratibus & Sacerdotum Collegiis* Ac *I* quidem *Capite* originem Pisarum deducit a Pisæis, antiqua Peloponnesi gente, qui Trojanorum profugorum spoliis onusti, & victrice classe in Hetruriæ littora delati, prima Pisanæ urbis fundamenta jecerint. Addit postmodo, Romanis cum Liguribus in agro Pisano commissa fuisse prælia, Pisasque ea tandem tempestate, qua Pyrrhus in Italiam venerit, Romanorum dominio se submisisse. Liguribus tandem, qui Pisanos valde infestarant, a P. R. debellatis, atque in longinquas terras abire jussis, Coloniam Latinam Pisas, sic ipsis Pisanis postulantibus, ductam, Pisanosque jus civitatis Romanæ indeptos, tribuique Galeriæ (nam Romæ 35 tribus erant) fuisse accensitos; Pisis etiam Prætores, Pro-Prætores, Consules, legionesque ipsas, durantibus per LXXX annos bellis Ligusticis hiemare consuevisse. *Cap. II*, præmisso de Coloniis militaribus, quas Sylla, postque illum Julius Cæsar ad continendam in potestate Italiam invexerat, discursu, ad Coloniam militarem Pisanam accedit, & cur *Juliæ*, cur item *Obsequentis* nomen tulerit, luculenter ostendit. *Julia* autem dicta vel a Julio Cæsare est, vel, ut Noris autumat, ab Augusto, qui & ipse Cajus Julius Cæsar Octavianus audierit; a quo & iterum Coloniam Pisas fuisse deductam conjicit, quod magna veterum colonorum pars absorpta bellis civilibus fuerit. *Obsequens* autem eo quod, cæteris urbibus colonos invite suscipientibus, Pisani spontanea liberalitate domos & agros victori gentium populo, quo liberati ab hostibus vicinis fuerant, tradidissent. *Cap. III* Pisanæ coloniæ Magistratus ex vetustis Inscriptionibus producuntur (nam & horum in Lucii Cæsaris Cenotaphio injicitur mentio) Duumviri videlicet, quibus fasces duo concessi erant cum lictoribus, Quæstores, qui vectigalia, portoria, tributa, decimas fructuum frugumque, omnes denique publicos reditus P. R. curabant, inque ærarium Romanum deferebant; Ædiles item ac Decem-primi vel Decuriones, qui idem in Coloniis erant, quod Romæ Senatores, unde & Senatores non raro sunt appellati. *Cap. IV* antiqui Coloniæ Pisanæ Sacerdotes seu Flamines Augustales exhibentur (nam in Cenotaphio *Statulenus Flamen*

Augustalis nominatur) Augustales illi sic dicti ab Augusto, cui adhuc vivo uti templum Augusteum, ita Sacerdotes quoque a Pisanis erant consecrati; quemadmodum & Julio Cæsari adhuc superstiti M. Antonius, teste Cicerone in II Philippica, *Flamen Dialis* fuerat designatus. Hi *Flamines Augustales* non confundendi cum *Sodalibus Augustalibus*, quorum Collegium ex XXV post Augusti fata abs Tiberio componebatur. Flamines præterea alii municipales, alii provinciales, alii etiam perpetui erant, alii temporarii, ut liquido a Noris ex vetustis Inscriptionibus demonstratur. *Cap. V* Pontificatus veterum Romanorum exponitur; Statulenus siquidem non *Flamen* tantum *Augustalis*, sed & *Pontifex minor publicorum P. R. sacrorum* in Cenotaphio Cajano appellatur. Scilicet & Majores & Minores erant Pontifices. Majores numero erant XV, e quibus Pontifex maximus legi suevit; minorum, qui speciale collegium constituebant, numerus est incompertus. Commodum hic Pontifices XV Ciceroni in Orat. de domo sua nominatos ordine percenset Illustrator omnes, eorumque tum familias, tum dignitates, res gestas atque fortunam operose exponit. Ad Pontificem postea minorem Statulenum reversus, de Diis municipalibus, quos ante jus civitatis Romanæ urbes illarumque cives coluerant, disserit, distinguensque Pontifices perpetuos a temporariis suam de *Pontificibus Qvinquennalibus* sententiam annectit. *Cap. VI* Quia autem præter Pontifices, & *Augures* ad templa dedicanda, Comitia Decurionum habenda, aliaque more Romano, præmissis auspiciis, facienda in Coloniis constituebantur, de illis quoque dicere quippiam Panvinius Virbius voluit. Et hi ipsi erant *Sodales Augustales*, quos a *Flaminibus Augustalibus* discriminandos esse jam dictum. Nimirum uti Pisani honoris causa Augusti adhuc superstitis sacerdotem, quem Flaminem Augustalem dixere, vocaverant, ita Tiberius, ejusque exemplo plerique in urbe Sodales Augustales, qui consecrati post mortem Augusti tanquam Numinis sacra peragerent, constituebant. Ex his sex primi nominati *Seviri Augustales*, Magistri item *Augustales*, cumque numerus eorum in Coloniis ac municipiis excresceret, in *Seniorum* ac *Juniorum* Collegium distinguebantur, quibus omnibus Seviri illi præerant.

In Dissertatione II *Caji & Lucii Cæsarum*, quorum honori dedicata erant *Pisana Cenotaphia, vita & res gestæ* capitibus XVIII *exponuntur*:

tur:

tur. Itaque *Cap. I* agitur de Patris M. Agrippæ Vipſaniæ tum natalibus obſcuris (nullis enim majorum imaginibus erat inclutus, imo gentis plebejæ atque ignobilis) tum matrimoniis ejus illuſtriſſimis, rebusque geſtis longe maximis; de Caji item & Lucii nativitate, illorumque ex Vipſaniis in Julios & *Cæſares* tranſitu per adoptionem Auguſti facto, nec non educatione, cui præter Verrium Flaccum Auguſtus ipſe fuit moderatus. *Cap. II* de novo matrimonio, quod Julia poſt extinctum in Campania Agrippam, editumque in lucem Agrippam Poſthumum cum privigno Auguſti Tiberio, ſic volente patre, iniit; dein de Caji primis militiæ ſub vitrico Tiberio adverſus Germanos miſſo rudimentis, & faſcibus conſularibus ei vix annos XIV nato, inuſitato hactenus exemplo, collatis. *Cap. III* de titulo *Principum Juventutis*, qui & Cajo & Lucio fuit datus, deque Tiberii, cum Tribunitiam poteſtatem abs Auguſto accepiſſet, in Inſulam Rhodum ſeceſſu, & probabili hujus cauſa. *Cap. IV* de Toga virili a Cajo induta, Romanisque circa eam rem ceremoniis, de anno togæ ſumptæ, & de congiario ab Auguſto die virilis togæ a Cajo ſumptæ dato. *Cap. V* de Pontificatu Caji, ubi occaſione nummi cujusdam univerſus Sacerdotum Romanorum habitus, inſignia & officia exponuntur, Pontificum nempe, Augurum, Quindecim-virorum atque Epulonum. *VI* de Herodis, cui regnum *Judææ a P. R.* delatum tum erat, regimine, deque mirifica Ioſephi, Iudaici Hiſtorici, cum annalibus Romanorum congruentia. *VII* de honore Augurum, qui & Lucio Cæſari fuerat collatus, ut & de patronis Coloniarum & Urbium, qui ex præpotentibus civibus Romanis legebantur. Nam & Lucius Iuliæ Piſanæ Obſequentis patrocinium ſuſceperat a Piſanis exoratum. *VIII* de titulo *Patris patriæ* Auguſto Imperatori dato, de templi Martis ultoris dedicatione, de Naumachiis ab Auguſto exhibitis, & filia Julia ob adulteria in Inſulam Pandatariam relegata. *IX* de Armeniæ & Arabiæ tumultu (qua occaſione de Regibus Armeniæ diſſeritur) & expeditione ad reprimendum illum inſtituta. Nam Cajus Cæſar Dux huic bello deſtinatus, eique tanquam rector juventæ M. Lollius adjunctus una cum Marco Cenſorino, Cneo Domitio, & Sejano. *X* de templo Jani ab Auguſto ter clauſo (ubi obiter, quo anno Ovidius natus, & quo tempore in exilium abierit, disquiritur) deque Tiberii Rhodo Samum tum navigantis cum Cajo in Aſiam tendente congreſſu.

XI de Romanis in Oriente provinciis, ad quas cum extraordinario Imperio Cajus Cæsar tum mittebatur, & Regibus ac Dynastis Asiaticis, qui tanquam amici sociique P. R. advenientem eas in regiones Cajum Augusti filium quæsitissimis honoribus exceperunt. *XII* de Caji in Arabiam expeditione; ad quam feliciter obeundam cum Juba, Rex Mauritaniæ, libros Geographicos ad Cajum scripsisset, ὡς ἐν παρόδῳ de Juba aliisque Mauritaniæ & Numidiæ Regibus disseritur. *XIII* de Consulatu Romano a Cajo in Syria inito, ejusque Collega consulari L. Æmilio Paulo, deque hujus & uxoris Juliæ, quæ neptis Augusti & Caji soror erat, miserabili exitu. *XIV* de Caji Cæsaris cum filio Phraatis, Parthorum Regis, colloquio, paceque inter Romanos & Parthos sancita; de Tiberii Romam reditu, de Lucio in Hispaniam misso, deque Æmiliæ Lepidæ, quæ sponsa destinata ei fuerat, Patre. *XV* de morte Lucii Cæsaris, deque *Inferiis annuis seu honoribus parentalibus* abs Pisanis eidem decretis. *XVI* de Sulpitio Quirino aliisque præsidibus Syriæ, de Augusti in Asiam itinere, ejusdemque Romam reditu, & ludis Actiacis post hunc institutis. Hic prolixum illud de præsidibus Syriæ parergon inseritur, eo quod plurimos circa illos errores historicos chronologicosque Auctor deprehenderat. Enumerat itaque antecessores Sulpitii Quirini omnes, nec hos tantum, sed & successores, quia & Montacutius eos ad Hierosolymæ usque excidium percensuerat. Fuerunt autem secundum Auctorem Syriæ Præsides isti, & hoc ordine: Sextus Cæsar, Q. Cornificius, L. Statius Murcus, P. Cornelius Dolabella, L. Cassius, L. Decidius Saxa, P. Ventidius Bassus, C. Sosius, L. Munatius Plancus, L. Calpurnius Bibulus, Q. Didius, Varro, M. Tullius Ciceronis *filius*, M. Agrippa Vipsanius, M. Titius, C. Sentius Saturninus, P. Quintilius Varus, P. Sulpitius Quirinius, Q. Cæcilius Silanus Creticus, Cn. Pompejus Piso, L. Pomponius Flaccus, Tiberius, L. Vitellius, P. Petronius, C. Cassius Longinus, T. Numidius sive Ventidicus Quadratus, Domitius Corbulo, Cincius, C. Sestius Gallus & P. Licinius Mucianus. Hi Syriæ fuere Præsides ab A. U. 707 usque ad A. U. 822, quo Syria omnis, ut ait Tacitus, a Vespasiani sacramento fuit. Se e diverticulo cum Autore redeamus in orbitam. *Cap. XVII* agitur de felici Caji in Armeniam ingressu, atque infelici ex ea regressu. Tumultibus enim in Arabia compositis Parthos ad petendam pacem adigebat Cajus, Armeniisque

que acie victis novum illis Regem Anobarzanem, Tigrane ejecto, imponebat: sed cum in obsidione Artageræ a præfecto Urbis vulneraretur per insidias, valere incipiebat pessime, cumque in Italiam reverteretur ab Augusto revocatus, in *Lycia* princeps summo Imperio destinatus moriebatur. Annus itaque & dies, quo obiit, h. l. excutitur. Si illustratori nostro habenda fides, Cajus Cæsar mortuus est d. XXI Febr. A. U. 756, & ante ipsum Lucius Cæsar d. XX. Augusti A. U. 755. *Cap. XVIII* de luctu Augusti, de Agrippa Posthumo, Cæsarum fratre, & Tiberio ab eo adoptato, de Basilica Caji & Lucii, deque porticu a Livia in honorem eorundem extructa, de Caji Cæsaris ossibus cineribusque Romam deportatis & nemore sub nomine Cæsarum conserto, agitur.

In Dissertatione III *Inferiæ Cajo & Lucio Cæsaribus a Colonia Pisana decretæ IX Capitibus explicantur.* Nam in his Cenotaphiis ritus veterum Romanorum funebres tam fuse ac dilucide describuntur, ut vel hoc nomine inter præcipua P. R. monumenta reponenda esse videantur. Noris eos tantum hic ritus exponit, qui in Tabula Lucii Pisana recitantur, ac *I* capite agit de vestibus lugentium atris atque albis; *II* de templis Deorum ac thermis in luctu clausis; *III* de diebus atris apud Romanos geminaque Christianorum circa dies superstitione, de diebus item Ægyptiacis in Calendario (quod post Hervvartum & Bucherium Lambecius notis illustravit) vetusto annotatis, & de Ludis Circensibus ac Scenicis; *IV* de cadaveribus extra urbem concrematis atque aris sepulcralibus; *V* de Inferiis seu victimis crematis ac libamentis funebribus; *VI* de tempore nocturno lugubribus sacris destinato, de die, quo annuatim Cæsaribus est parentatum, de cereis & facibus in funere accendi solitis; *VII* de cinctu Gabino sacris operantium, & de pyra seu rogo; *VIII* de statuis & columnis in honorem illustrium virorum positis, iisque equestribus & pedestribus, quales Cajo præ Lucio fuere decretæ, & *IX* de lege Ælia Sentia, quandoquidem in Cenotaphio Cajano & Sexti Ælii Cati tanquam Consulis id temporis Romani fit mentio.


In Dissertatione IV *Latinitas & Orthographia utriusque Tabulæ Pisanæ a Viri clarissimi censura defenditur.* Intelligit autem Fr. Noris Octavium Boldonum, Episcopum Theanensem, qui in libro II Epigraphicæ duplicem Latinitatis facit ætatem; aliam videlicet auream Romæ, aliam in Coloniis Romanis deteriorem, inque his Inscriptionibus

nibus, quamvis aureo ſeculo eas natas eſſe non abnuat, impuræ Latinitatis apparere veſtigia contendit. Auctor itaque, poſteaquam in diſſertationibus antecedaneis Hiſtorici, Chronologi, Philologique partes non infeliciter eſt tuitus, Grammaticum ex profeſſo nunc agit, ſeque in hac quoque palæſtra Roſcium probe exercitatum repræſentat. Ac *I* capite non infitetur, latinitatem puram aliquid limi ex diverſis Romanorum coloniis attraxiſſe; Lapides tamen Romano Imperio florente inſcriptos longe certiores teſtes cenſendos eſſe dicit, quam vetuſtiſſima quæque volumina, tot indoctis librariorum manibus defœdata; in quibus tamen in codices referendis peccari non minus, quam in libris exſcribendis ob exſcriptorum vel inſcitiam, vel negligentiam poſſit; quale quid & Cenotaphiis Piſanis obtigiſſe ex *Curtio Pichena & Ferdinando Ughello*, qui ea mendoſiſſima publicaverant, oſtendit. Cap. II auream utriusque Cenotaphii latinitatem vindicat, tum ex Lapidibus, quos vocat, eruditis, tum ex celebratisſimo illo Codice Virgiliano, qui in Laurentiana Florentiæ Bibliotheca hodiedum ſancte aſſervatur. Eſt enim codex Romana majori litera exaratus, ac tantæ, ſic cenſente Nicolao Heinſio, qui & novisſimam Virgilii editionem ad ejus faciem reformavit, vetuſtatis, ut parem per univerſam Europam nullum habeat; certe mille ducentorum circiter annorum antiquus, & Lucas Holſtenius ut autumat (qui per aliquot menſes in Bibliotheca Medicea habitavit, judiciumque poſtea de nobilioribus ejus MStis tulit) circa Valentis & Theodoſii tempora ſcriptus, & deinceps a Turcio Rufo Aproniano Aſterio, qui Romæ conſulatum cum præſidio A. C. 494 Theodorico in Italia regnante gesſit, (nam & ejus familia hac occaſione a Noris evolvitur,) emendatus. In eodem capite & ſubſequis voces harum Inſcriptionum impuræ latinitatis Boldono incuſatas defendit Noris maſcule, armis non aliunde, quam ex antiquitate Romana, & Codice, quem diximus, Virgiliano ſumtis. Cum enim Boldonus dicendum fuiſſe contenderet *Maximus* pro *Maxſimus*, *cæterum* pro *ceterum*, *quotannis* pro *quodannis*, *atque* pro *adque*, *præerunt* pro *prærunt*, *Imperii* pro *Imperi*, *ultra extremos fines* pro *ultra extremas finis*, *devictis* pro *devicteis*, *vulneribus* pro *volneribus*, *acervus* pro *acervos*, *ſimillimum* pro *ſimillumum*, *obiit* pro *obit*, *neve* pro *nive*, *ſpoliis* pro *ſpoleis*, *Cai* pro *Gai*, *Gabino* pro *Cabino*, *legitime* pro *legitume*, *in perpetuum* pro *in perpetuom*

petuom &c. hæc omnia Fr. Noris amice conſpirare cum aureæ latinitatis ſcriptione ex antiquiſſimis Romanorum Inſcriptionibus Scriptoribusque contra Boldonum adſtruit. In cap. tandem VI & ultimo non *orthographiam* tantum, ſed & *phraſes* Cenotaphiorum horum manu quaſi aſſerit, ſubque finem *de accentibus* quoque, qui & ipſi in utraque tabula viſuntur, aliquid adnotat, eosque non recenti quadam conſuetudine, quod multi Eruditorum exiſtimant, ſed jam olim imperante Auguſto, ipſaque adeo ætate Latinitatis aurea apponi conſueviſſe, tum ex his ipſis Inſcriptionibus, tum ex priſcis Grammaticis demonſtrat. De cætero uti in hac ultima diſſertatione, ita in antegreſſis quoque Auctor aſſerta ſua tum adductis Romanorum Hiſtoricorum ac Poetarum verbis, tum Inſcriptionibus maxime, iisque non Gruterianis tantum, ſed & aliunde acceptis confirmat; non paucas etiam illarum corrigit, inque meliorem faciem reformat. Eadem etiam libertate, qua in Hiſtoria Eccleſiaſtica aliisque libris fuit uſus, ſcriptores cujuscunque religionis atque ordinis, eosque qua anteriores, qua recentiores, per totum hoc opus refellit; in Diſſertatione II maxime, in qua infinitos pene prochroniſmos, metachroniſmos, aliosque errores Virorum maximorum ac celeberrimorum detegit ac confutat. Non refellit autem tantum, ſed juſtis ſubinde laudibus ſcriptores allegatos exornat. Nec absque gratæ mentis indicio pulcherrimisque encomiis eos nominat, qui ex cimeliarchis ſuis tum numiſmata tum Inſcriptiones aliaque antiquitatis rudera luſtranda ipſi ſuppeditarunt, Chriſtinam inprimis Reginam, Principemque Sereniſſimum ſuum COSMUM III, ac præter hos Julium Juſtinianum D. Marci apud Venetos Procuratorem, Johannem Maurocenum, ad eandem dignitatem evectum, Dominicum Theapolum Patritium Venetum, Carolum Patinum Equitem & Profeſſorem Patavinum, Carcavium nummariæ antiquitatis apud Regem Galliæ cuſtodem ac Bibliothecarium, Cæſarem Leopoldum Auximam, Johannem Petrum Bellerium, Joſephum Magnavacam, Antonium Magliabecum, Johannem Lazara, Apollonium Baſſetum, Jacobum Sponium, alios. Annexus eſt in fine *Index rerum notabilium.*

NOVA METHODUS DETERMINANDI Maxima & Minima, Auctore D.T.

Quia quidam ex Amicis, cum viderunt Methodum meam Tangentium, quam in Actorum horum mense Decembri superioris anni p. 391, sqq. communicavi, apprime desiderarunt scire, qua ratione hinc determinare valeam maxima & minima, aut num hoc forte eadem Methodo non possit præstari: hic quædam, quo horum petito satisfiat, aperire constitui.



Notandum itaque *primo*, quod determinatio Maximorum aut Minimorum nihil aliud sit, quam determinatio specialis casus circa Tangentes Curvarum. Quod ut facile capias, exemplo illustrabo. Sit quæcunque indeterminata BC=X, quæ determinare debet maximum aliquod; litera *a* denotet datam aliquam lineam BH; maximum quod determinari debet, sit $aax^3 - 2ax^4 + x^5$; hoc maximum repræsentetur per lineam FG, quæ ponatur æqualis y; erit itaque $aax^3 - 2ax^4 + x^5 = y^5$, quæ utique æquatio curvæ alicujus naturam ope duarum indeterminatarum exprimit. Jam vero, ut maximum hoc inveniatur, nihil aliud opus, quam ut hujus Curvæ BDFH maxima ordinatim applicatarum determinetur; hæc autem cum sit linea FG, ubi Curva hæc tangitur a linea EF *parallela* axi BH, nihil aliud opus, quam quærere Tangentem hujus Curvæ BDFH, in quovis puncto generaliter, atque tunc omnes speciales casus quoque determinati erunt, & per consequens etiam *hic ipse*, ubi linea EF seu Tangens parallela *est axi*. Sit itaque in præsenti exemplo AB=t, juxta regulam quam exhibui de Tangentibus, erit $t = \dfrac{2aax^3 - 2ax^4}{3aaxx - 8ax^3 + 5x^4}$

Notan-

Notandum *secundo*, prout facile perspicuum, quod si Tangens EF est parallela axi, denominator hujus fractionis æqualis est *o* seu nihilo. Unde habebitur $3aa - 8ax + 5xx = o$, æquatio, ope cujus quantitas x & proinde maximum determinatur.

Notandum *tertio*, quod pro eadem quantitate BG determinanda, si maximum aliquod detur, semper alia adhuc æquatio possit inveniri, quærendo Tangentem ab altera parte hujus Curvæ. Cum vero sic duæ Æquationes habeantur eandem incognitam includentes, non difficile erit rerum harum peritis determinare id quod quæritur. Sic ponendo $LH = Z$, erit maximum $a^3zz - 3aaz^3 + 3az^4 - z^5 = y^5$; hinc juxta regulam meam de Tangentibus erit $HM = \frac{3a^3zz - 6aaz^3 + 3az^4}{2a^3z - 9aazz + 12az - 5z^4}$.

Unde jam juxta annotationem secundam denominator hujus fractionis $2a3 - 9azz + 12azz - 5z^4$ æqualis *o*, in qua æquatione si restituatur loco z quantitas ipsi æqualis $a - x$, obtinetur $-3axx + 5x^3$ seu $x = \frac{3a}{5}$ æquatio secunda, ope cujus longitudo BG invenitur.

Atque sic fundamentum aperui, unde tam expedita methodus maxima & minima determinandi derivatur, ac hactenus ullam videre mihi licuit, quæque talis:

Sit BH data aliqua æqualis a, cujus respectu maximum aut minimum aliquod quæritur: ponatur $BG = x$ & $GH = z$, jam

Primo erit $z = a - x$.

2. formetur maximum ope quantitatis z, ita ut x non ingrediatur compositionem hanc. Sit autem exempli gratia maximum illud $a^3z^5 - 3aaz^6 + 3az^7 - z^8$, in qua quantitate termino, ubi z duas obtinet dimensiones, præfigatur binarius; ubi 3 habet, ternarius; ubi vero quatuor, quaternarius, atque sic porro semper exponens potestatis z eidem termino præfigatur: totum vero aggregatum sic proveniens adæquetur nihilo: erit itaque in præsenti exemplo $5a^3z^5 - 18aaz^6 + 21az^7 - 8z^8 = o$, seu $3a^3 - 18aaz + 21azz - 8z^3 = o$.

3. In hac ultima æquatione restituatur $z = a - x$ & invenietur simplicissima æquatio pro quantitate x, quæ maximum seu minimum desideratum determinat; veluti in præsenti exemplo, si in æquatione $3a^3 - 18aaz + 21azz - 8z^3 = o$ restituatur $z = a - x$, invenietur $x = \frac{3a}{8}$, ope cu-

 jus

jus maximum desideratum utique determinatum est. Spero itaque me hisce, qui tale quid a me rogarunt, abunde satisfecisse. Ubi ex occasione moneo, quod in editione Methodi meæ de Tangentibus Curvarum in articulo tertio p. Actorum anno 1682 quædam falsè sint impressa, verba nimirum hæc: *Transposita vero y cum signo--omnes termini ponantur æquales nihilo seu o.* Debet enim esse: *Si vero maxima potestas quantitatis y penitus absit, omnes termini ponantur æquales nihilo seu o.* Itidem in articulo penultimo, ubi dicitur, *ac assumatur æqualis*, debet poni, *assumatur A D æqualis.*

NOVA INVENTIO TUBI, PROMTI USUS & sumtus minimi, quantumcunque grandibus conspiciliorum vitris adhibendis, cœlum terramque versus, inserviens: scripto ad Dominum Borellum, Regiæ scientiarum Academiæ, transmisso delineata. 1682.

Ex Gallico in Latinum translata, ex Diario Eruditor. Parisiensi XXIX. 14. Dec. 1682.

DIe 18 nuperi Novembris *Dominus Borellus* Academiæ Regiæ Tractatum communicavit, quem antegresso mense Septembri acceperat, cum titulo; *Telescopium Catadioptricum & Diacatoptricum, sive descriptio aliquot machinarum, ad faciliorem Telescopiorum usum accommodatarum*, Autore Domino *Boffat* Tolosano, Diœceseos Rivensis incola.

Cum longiora Telescopia præstantioris etiam sint effectus: eadem e vitris majoribus construendi ratio vel mille mediis quæsita est. Simul ac vero ad longitudines insigniores perventum est, deprehensæ etiam sunt difficultates, quæ in tractatione tuborum 80 vel centum pedalium, ut nihil se incurvent, & prout res exigat, quaquaversum moveri possint, erigendorum, se objiciunt.

Has difficultates Celeberrimus observationibus suis astronomicis Dominus *Hevelius* in Machina sua cœlesti, ubi constructionem exhibet grandiorum tuborum, conatus est tollere: at cum in omnibus speculationibus suis, tubo mobili ex communi usu assuevisset; illi in debito situ retinendo, tot funibus & trochleis opus habuit, ut longe difficillimum

mum videatur, per hoc omne decentem harmoniam, summa illa facilitate & regularitate quæ requiritur, servari potuisse.


Huic rei Dominus *Bossat* mirificum (utcumque magni, & vel mille pedum sint tubi) adhibet remedium, ingenioso, & intellectu facili commento: structura sc. tubi immobilis ad polum directi, beneficio speculorum planorum mobilium, extremitati tubi aptatorum, objectumque, ut ad oculare deferatur, versus objectivum reflectentium, omnes in universum motus, quos tubus ad cœlum erectus deposcit, supplens. Cumque ita sola specula, quærendis persequendisque objectis moveri sit necesse, tubus hic perpetuo manet immobilis: & quivis eundem ipse pro lubitu contrahere potest, speculi ita dispositis, ut objectum pluries reflectant.

Interea dum tractatus iste imprimatur, nosque delineationem ejus dare possimus, cum explicatione omnium figurarum, quas eximius hic Mathematicus, ostendendis diversis modis, quibus necessarius motus speculorum efficitur, submisit; e re arbitrati sumus, generalem ejus inventi notitiam Curiosis facere: quod sc. in antecessum confiteri omnino nos oporteat, illud & per omnia certum & evidens, ac usus esse posse in Astronomia eximii, ob facilitatem sibi propriam, citra laborem suspensionis & directionis, cujuscunque magnitudinis tubos tractandi.

PROBLEMA GEOMETRICUM DN. COMIERS.

PRoposuit Anno 1681 d. 16 Oct. in Diario Gallico generali problema quoddam Mathematicis solvendum Clarissimus Dn. Comierius, centumque aureorum Ludovicianorum præmium illi publice promisit, qui intra triennium, *solo circulo lineisque rectis usus*, idem solverit. Quod quanquam vexatissimum illud Deliacum problema duplicandi Cubi in sinu fovere, adeoque præscripta ratione insolubile nobis quidem videatur; iis tamen, ad quorum manus Gallorum Ephemerides & Mercurius (*Journal des Scavans, & Mercure galant*) non perveniunt, publicandum duximus: si forte eorum alicui ratio suppetat, qua felicius, atque hucusque a compluribus in Galliis tentatum esse accepimus, nodum hunc solvere, & inventi nobilissimi gloriam juxta ac pretium consequi contendat.

Est vero problema sequens.



Datis in Triangulo rectangulo CIE, latere IE, 2 (eoque ut lubet producto in S) & Hypothenusa CE, 4; data praeterea recta CO, parallela lateri IS, 8: super recta terminata EO, per Elementa Euclidea Geometrice assignare punctum M, ut ducta ex C per M. recta CR, ejus pars MR aequalis sit lineae CE.

OBSERVATIO CIRCA BILIS MOTUM AB epate ad vesicam biliariam & intestinum.

Circa officinam humoris fellei ut Scriptores varient, cunctis Anatomicis constare arbitror. Ego quemadmodum, si non omnem, certe maximam ejus partem in epate elaborari, hujus vero notabilem portionem folliculo fellis infundi, aliis concedo, ita haud parca manu per ductum epaticum & cysticum hoc contingere hactenus suspicatus fui; prout superioris anni Calendae Januarii horum Actorum pag. 20. seqq. testari potuerunt: Quae E. postea huc facientia annotavi, publico pariter exponere volui. Scilicet aperto vivi canis abdomine, ex vesicula biliaria omnem expressi hujus humorem, ligavi ductum cysticum, expectaturus, an nihilominus, si subjectum aliquandiu superstes foret, aliquid bilis, non obstante hoc vinculo, denegatoque folliculo fellis cum poro epatico commercio, in illo colligeretur: proin consuto denuo abdomine animal per 24 horas vivum conservavi, vivumque resecui. Et per ductum equidem communem Cholodochum, bilis ad intestinum confluere videbatur, praeter modum tamen insimul tumente extremitate canalis cystici filo intercepta; nihil autem fellis, sed loco hujus tantillum sanguinis congrumati & sapore amaricante, sine dubio a bilis expressae reliquiis, tincti deprehendebam. Quo sane experimento in eo confirmatus fui, in cane, homine, similibusque animalibus, quibus pori epatici & cystici adaequata contingit communicatio, notabilem bilis quantitatem, ab epatico ad cystin, per hujus mea-

meatum, secedere, adeoque ex hac bilem ad intestinum non continuo, sed interpolato motu ferri, eum forsan in finem, ut in diverticulo hoc stagnans fermentativam magis induat potentiam.

Quod præter affluxum illum, effluxum ex vesicula necessario interdum impedientem, comprobare videtur, quod quæ per ductum intestinalem in subjectis vivis continuo motu emanat, bilis aliquoties epaticæ bili similis a me observata fuerit, i. e. talis, qualem ligato ductu cystico, aut plane rescissa vesicula, in aliis deprehendimus, nempe dilutioris flavedinis, consistentiæ fluidioris, saporis minus amaricantis & aliquando dulcedinem saccharo Saturni æmulam in lingua gustantium relinquentem: cum econtra bilem ex eorundem subjectorum folliculis extractam spissiorem longe, coloris saturatioris & amaritiei intolerabilis deprehenderem.

*LETTRE DU Sr. N*** CONSEILLIER du Roy &c. a son Amy Monsieur Antoine Wion d' Heroual tresrenommé entre les Sçavans, au sujet des Libelles, qui de tems en tems se publient en Flandres contre les RR. PP.* HENSCENIUS *&* PAPEBROCHIUS *Jesuites.*

id est:

EPISTOLA DOMINI *** CONSILIARII Regii ad familiarem suum Dn. Antonium Vionem Herovallium, celeberrimum doctrina virum, de Libellis, qui subinde in Flandria adversus Reverendos Patres HENSCHENIUM & PAPEPROCHIUM Jesuitas disseminantur.

Actorum Sanctorum, quæ in primi mensis anni hujus Actis pag. 4 recensuimus, a Bollando cœptum, ab Henschenio continuatum, a Papebrochio perficiendum studium, multorum malevolorum cavillationibus sugillari, & cumprimis *Carmelitas* Papebrochio infestos gerere animos calamosque, ob labefactatam ab eo Ordinis ipsorum antiquitatem, criminosi libelli exemplo pag. 13. ceu luculento specimine osten-

ostendimus. Non istam vero tantum, quæ sola ad nos pervenit, sed plures istius generis maledicas circumvolitare chartas, & sub *Prodromi*, *Armamentarii*, & *Speculi Carmelitani*, *Pomi* item *discordiæ*, titulis editos extare libros, fabulosam Carmelitarum originem levibus argumentis magno molimine adstruentes, & Actis Henschenio-Papebrochianis maligne insultantes, hæc docet Epistola: cujus auctorem, qui dissimulavit nomen, *Carolum Fresneum*, *Dominum du Cange*, editis studii ac eruditionis rarioris monumentis celeberrimum, & *Glossarii ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis* vasto Opere, ac *Byzantina Historia illustrata* universo Orbi cognitum, perhibuerunt, quorum favore ista ad nos pervenit. In hac id potissimum agit, ut silentio & contemtu generoso vindicandas doceat injurias, ac negligendas chartas amarulentas, indignas quibus confutandis Papebrochius ingenium applicet otiumque impendat: rectius vero facturos censeat Carmelitas, si omissis de origine sui Ordinis anilibus fabulis, quibus Græcis & Romanis veteribus origines cœlestes vaniter jactantibus luxuriosiores ipsi indulgeant, veritati dent victas manus, nec publicum stultitiæ testimonium domestico præconio quærere porro pergant.

GEMINIANI MONTANARII ASTRONOMI Patavini de Cometa nupero Anno 1682 viso ad Illustr. Antonium Maliabechium Epistola.

Patavii, 1682. in 4.

Quanquam scriptum hoc (Italico idiomate editum) *epistolæ* mensuram non excedat, suffragium tamen ejusdem, tum pro Nodo Cometæ, contra seriem signorum continuo mobili; tum contra caudæ productionem ex refractione radiorum solarium, a figura cometæ depromtum: Prognosticon denique, ex historia Cometæ Anni 1531 ab Apiano observati, huic tantum non per omnia similis, contra Astrologos Italiæ forte dira minitaturos, detortum, non indigna nobis visa sunt, quorum mentionem aliquam hic faceremus.